image
not
available

Digitized by Google

R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
560
NAPOLI

5920 f6

Racc. Vill. A 56

GEORGII LVDOVICI BOEHMERI

POTENT. MAGNAE BRIT. REGI ET ELECTORI BRVNSVICO-LVNEBVRGICO A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET ANTECESSORIS IVR. PRIMARII IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

OBSERVATIONES
IVRIS FEVDALIS.



Editio ſecunda recognita.

GOTTINGAE
APVD DANIEL. FRIDERICVM KVBLERVM
CIↃIↃCCLXXXIV.

BENEVOLO LECTORI
SALVTEM.

Inter cetera ſubſidia, quibus laboranti in Germania iuriſprudentiae feudali ſubuentum eſt, vtilitate et iucunditate maxime omnium ſe commendat iuris clientelaris medii aeui *notitia. Nata inter ipſos Germanos cultaque ſunt inſtituta clientelaria: iuraque, inter illos olim conſtituta, non omnino antiquata, ſed multa eorum ſeruata ſunt vſu obſeruantiaque curiarum clientelarium. Si ergo non minima pars eorum, quae tum in feudis imperii tum in feudis prouincialibus hodienum ſeruantur, ex medio aeuo profecta ſunt: quis de iuris illius, quod medio aeuo viguit, notitiae vtilitate dubitauerit, maxime cum ſuppeditet, quae in vſus iuris notioris conuertere liceat tum in indole inſtitutorum clientelarium indaganda, tum in tradendis originibus rationibusque iurium in curiis feudalibus obuiorum. Et mouemur omnino, neſcio quo pacto, locis ipſis, quibus eorum, quae hodienum obtinent, adſunt veſtigia. His tamen limitibus circumſcriptum eſſe arbitror iuris medii aeui vſum, qui in eruenda indole inſtitutorum clientelarium hac-*

tenus ſeruatorum, in enucleandis iurium, quae hodienum obtinent, originibus, in eorumque rationibus indagandis verſatur. Si enim de eius vi et auctoritate iuris quaeratur; haec ei vi quadam propria, qua caret, tribui nequit, ſed quidquid ei tribui poteſt, illud omne pendet a vi obſeruantiae curiarum clientelarium, iuriumue particularium, pactorumque familiae *clientelarium, quibus illud hodienum ſeruatum eſſe apparet. Nec alia ratio eſt priuatarum iuris clientelaris collectionum, quae iuris* Caeſarei, Allemannici *et* Saxonici *nomine veniunt, et ad ius medii aeui illuſtrandum pertinent; ex quibus ſi quid ipſa obſeruantia curiarum feudalium obuium vſuque ſeruatum eſt, illud non vi iſtarum collectionum, quarum nulla eſt auctoritas, ſed virtute* obſeruantiae clientelaris *vel virtute* iuris particularis *vim iuris obtinet.*

Habes, Lector beneuole, in hac ſylloge obſeruationes varii argumenti, *omnes ad* iuris feudalis *diſciplinam pertinentes, et maxime ad eam partem, quae* iuris medii aeui *cognitionem concernit. Editae iam antea ſunt ſparſim et ſigillatim diuerſis temporibus, prout vel honorum, qui iurium Candidatis conferuntur, indicandorum vel ſimilis occaſio ſcribendi locum fecit. Quas dum vno veluti faſce complector; easdem tamen ſine lima pre-*

lo

lo exire paſſus non ſum, ſed quaſi vineta mea ipſa caedens, quaedam in eis mutare et refigere nullus dubitaui, easdemque rerum argumentis locupletiores eſſe volui. Verſantur autem potiſſimum in his argumentis. Prima tractat hiſtoriam collectionis iuris feudalis Longobardici, *in cuius aetate rectius definienda occupatus quaedam etiam addidi, quae eius fata per Germaniam reſpiciunt. Quinque ſequentes pertinent ad* origines feudorum, *quae ex diſcrimine* beneficiorum *et* feudorum, *ex indole et ratione* fidelitatis vaſalliticae *et* miniſterialis, *ex ſtatu* miniſterialium, *quos inter viri et feminae celebrantur, et ex immutatione* miniſteriorum *in* feuda *lucem accipiunt. Exemplum miniſterii in feudum immutati exhibet* feudum campanarium, *obſeruatione VII. propoſitum. Differentiam iuris feudalis Longobardici et Germanici in* feudi communis diuiſione *obſerv. VIII. tradidi, quae ſimul dat natales inueſtiturae ſimultaneae. Quae ad inueſtituram* per procuratorem *petendam, ad eamque* a Domino ſine difficultate concedendam *pertinent iura antiqua et noua, obſeruatione IX. et X. complexus ſum. Dum* iudicem curiae feudalis, *nec non* iudicem feudorum extra curtem *obſeruatione XII. et XIII. delineaui, in originibus iurisdictionis feudalis ſimul verſatus ſum. In obſerua-*

tione vltima tuitus ſum vim hypothecae feudalis, *absque domini conſenſu ceſſae.*

Haec praefatus ſum, cum anno CIƆIƆCCLXIV. *ederem obſeruationes, quibus complecterer varia iuris clientelaris capita, quae ad origines nobiliſſimae diſciplinae iuriumque eius ſpecialium, quae inde ex medio aeuo vſu curiarum feudalium ſeruatae ſunt, illuſtrandas, facere videntur. Satis iam, vt videtur, tum expoſui inſtituti rationes. Nec diſplicuiſſe id conſilium viris doctis intelligo, cum de adornanda noua earum editione fuerit cogitandum. Reuocaui ſingula argumenta ſub curas poſteriores, in eo tantum occupatus, vt quae minus recte dicta cognoſcerem, in his emendandis rectiusque exponendis animum defigerem. His Te frui,* Lector beneuole, *Tibique mea ſtudia commendata eſſe, vehementer cupio. Scripſi in Georgia Auguſta pridie Calend. Maii* CIƆIƆCCLXXXIV.

SE-

SERIES OBSERVATIONVM.

I. De aetate vetuſtae conſuetudinum feudalium Longobardicarum collectionis, quam vulgo libros feudorum vocant. p. 1.

II. De feudis ex veterum Francorum beneficiis enatis. p. 65.

III. De natalibus fidei vaſalliticae. p. 86.

IV. De indole fidei vaſalliticae eiusque a miniſteriali fidelitate diſcrimine. p. 101.

V. De femina miniſteriali. p. 122.

VI. De ſucceſſione olim negata in bonis iure curiae datis ſeu in beneficiis miniſterialium. p. 174.

VII. De feudo Campanario, vulgo Glocken-Lehn. p. 189.

VIII. De feudi communis diuiſione. p. 213.

IX. De inueſtitura per procuratorem. p. 234.

X. De

X. De obligatione domini in renouatione inueſtiturae ſine difficultate concedenda. p. 261.

XI. De Iudice Curiae feudalis. p. 277.

XII. De iudice feudorum extra curtem. p. 303.

XIII. De ceſſione hypothecae feudalis absque domini conſenſu valida. p. 358.

OBSER-

OBSERVATIO I.

DE

AETATE

vetuſtae conſuetudinum Feudalium Longobardicorum collectionis.

Quam vulgo

LIBROS FEVDORVM

vocant.

ARGVMENTVM

I. *Sententiae interpretum de aetate huius collectionis.*

II. *Scripta Oberti et Gerardi, huius collectionis fontes.*

III. *Differentia illorum ab ipſa collectione.*

IV. *Conſtitutiones feudales Friderici I. Imp. fontes huius collectionis.*

V. *Illarum diſcrimen ab hac collectione.*

VI. *Error easdem pro ipſa compilatione habentium.*

VII. *Aetas huius collectionis ſub Friderico I.*

VIII. *Eius partitio in duos libros.*

IX. *Gloſſator illius Hugolinus.*

X. *Auctor incertus.*

Digitized by Google

XI. *Finis et ratio huius collectionis priuatae.*
XII. *Approbatio eius a Friderico I. in vſus praelectionum academicarum facta diuerſa eſt ab authentica.*
XIII. *Conſenſus interpretum qui eam vindicant aeuo Friderici I.*
XIV. XV. XVII. *Error eam tribuentium aeuo Friderici II.*
XVI. *Facta eſt pars corporis iuris ſub Friderico II.*
XVIII. *Eius receptio in Germania.*
XIX. *Quo tempore facta ſit?*

---

§. I.

Sententiae interpretum de aetate huius collectionis.

Longa et varia eſt Iuris Feudalis interpretum diſputatio, quo aeuo prodierit, quae corpori iuris ciuilis quodam velut acceſſionis iure adiuncta eſt, IVRIS FEVDALIS LONGOBARDICI compilatio. Cum enim ad dignitatem artis pertinere videretur, eius iuris, in quo quotidie verſabantur, natales haud ignorare: non mirum, ſummos ICtos non minus in Italico, quo primum haec collectio nata eſt, ſolo, quam in Germania, cuius ciuitatis ius appetiit peregrinus partus, in inda-

indaganda eius origine ingenia exercuiſſe. Mira opinionum ea de re eſt varietas, aliis rationes, quae a coniectura pendent, quaerentibus, aliis veterum teſtimonia diſputando huc et illuc trahentibus. Itaque alii huius collectionis natales ad Friderici I. tempora reiiciunt, quos alii ſub Friderico II. (*a*) et alii rurſus ſub Friderico III. (*b*) deprehendere autumant; alii contra eam Principali auctoritate conſcriptam affirmant, aliis iterum contranitentibus. Quae omnia adeo incerta viſa HORNIO (*c*); vt ea in medio relinquere, quam quidquam definire maluerit. Inter quae ſententiarum diuortia fluctuans non ſine animi voluptate incidi in egregium, quo rem expediri poſſe putabam, teſtimonium

(*a*) Vid. infra §. *XIII.*

(*b*) VDALRIC. ZASIVS in *Prooemio de feudis*, aliique commiſcent ANTONII MINCVCCII *de Prato veteri* libros *de feudis*, ſub Sigismundo et Friderico III. editos, cum antiqua Placitorum Logobardicorum compilatione. Vid. HERMAN. CONRINGIVS *de orig. iur. Germ.* cap. XXXIII. pag. 217.

(*c*) *In iurisprud. feud.* cap. I. §. 21. 22.

nium vetuſtiſſimi KALENDARII, archigymnaſii Bononienſis, ex quo varia, ad ſeculi XII. et XIII. hiſtoriam illuſtrandam pertinentia, exhibuit Vir Doctus, ALEXANDER MACCHIAVELLI, ICtus Bononienſis, in notis ad CAROLI SIGONII hiſtoriam Bononienſem (*d*). Quod igitur nec inutile nec iniucundum fore exiſtimaui, de *aetate* priſcae iuris feudalis Longobardici collectionis, quam LIBROS FEVDORVM vocare ſolemus, quaedam exponere, certiusue euincere conſtitui, quos ad Fridericum I. Imp. refero natales, adductis et in concordiam reuocatis, quae hanc in rem in varias ſententias proponi ſolent, veterum ſcriptorum teſtimoniis.

§. II.

(*d*) Splendidam CAR. SIGONII Operum editionem cum notis variorum illuſtrium Virorum debemus PHILIPPO ARGELATO. Prodiit Mediolani cIↃIↃcc xxxiii. in eiusque *tomo III.* extant ALEXAND. MACCHIAVELLI *notae* ad *Sigonii hiſtoriam Bononienſem.*

§. II.

Scripta Oberti et Gerardi, huius collectionis fontes.

De iſtius collectionis aetate acturis ante omnia proſpiciendum videbatur, ne *fontes*, ex quibus collecti ſunt Libri feudorum, cum collectione ipſa commiſcerentur; ad quem ſcopulum alios alliſiſſe, et cum *ſcripta feudalia Conſulum Mediolanenſium* pro collectione noſtra habuiſſe, tum ex eisdem, quae FRIDERICVM I. ſpecialium conſtitutionum feudalium auctorem faciunt, teſtimoniis eumdem Imperatorem Iuris noſtri Longobardici auctorem euincere voluiſſe conſtat. *Fontibus annumero collectiones conſuetudinum feudalium*, quas adornandas curarunt OBERTVS AB ORTO et GERARDVS NIGER, vterque conſul Mediolanenſis (*a*), rerum feudali-

(*a*) OTTO FRISINGENSIS *de geſtis Friderici I. lib. II. c. XIII. in f.* apud LVD. ANT. MVRATORIVM *ſcript. rer. Ital. tom. VI. p.* 710. inter conſules ciuitatum Italiae, qui comitiis apud Roncalias interfuerunt, refert *con-*

dalium vſu et peritia tempore FRIDERICI I. Imp. florentiſſimus, imitando ad omnem poſteritatem exemplo, iura, quibus ciuitates reguntur, a doctis conſulibus ex ſtatutis et cana obſeruantia explicari. Vtriusque conſulis eſt diuerſa compilatio. OBERTI AB ORTO libellus complectitur conſuetudinum et iurium feudalium, quae in *curia feudali Mediolanenſi* obtinuerant, collectionem. Rem manifeſto loquitur Oberti epiſtola, Filio ANSELMO inſcripta (*b*), qua ſe *non Regni Italiae conſuetudines*, quas breui libello vix comprehendi poſſe putabat, ſed vſum Feudi, qui in *noſtris*, vt ait, *partibus*, hoc eſt, Mediolani obtinet, expoſiturum eſſe ſignificauit. Ex fine libelli, quem ipſe auctor prodidit, de libello ipſo iudicandum; vt adeo fallant, qui totius regni Longobardici conſuetu-

conſules ciuitatis Mediolanenſis, *Obertum de Orto et Gerardum Nigrum*. Obertum *aduocatum et Pragmaticum in Curia Mediolanenſi* vocat CAROLVS MOLINAEVS in *Commentario ad conſuetud. Pariſienſ. lib. I. pr. §.* 100. *Oper. tom. I. p.* 21.

(*b*) Quae inſerta eſt *Libris Feudorum*, II. F. I.

tudines ab Oberto expoſitas eſſe, ex praeiudicata opinione, quod *Libri Feudorum* ab eodem Oberto conſcripti ſint, cenſuerunt. Immo, ſi quid recte colligimus, *duplicem* ad praecepta feudalia filio ANSELMO tradenda, OBERTVS dedit *libellum*: alter eſt, quem modo ex II. F. I. recenſuimus; alter *ſpecialem* continet tractationem de cauſis amittendi beneficium, ex quo nonnulla inſerta ſunt II. F. 23. "Obertus de Orto, Anſelmo ſuo ſalutem. Cogis „me, et ſuper hoc ſaepe ſcribendo multum „vrges, vt cauſas, quibus beneficium a„mittitur, enumeratas tibi ſignificarem. „Quod ideo diſtuli, quia ſaepius circa Rei„publicae curam occupatus, et multis pri„uatorum cauſis aliisque rerum innumera„bilium impedimentis detentus, onus il„lud ſubire non valebam. At ne videar „preces tuas paruipendere, et ſtudium di„ſcendi tibi nunc imminens negligere: „quid mihi ſuper hoc videatur, paucis ex„plicabo." De GERARDI NIGRI libello omnia incerta ſunt, niſi quod eodem, quo

Collega Obertus, conſilio conſuetudines curiae feudalis Mediolanenſis expoſuiſſe videatur.

§. III.

Illorum diſcrimen ab ipſa collectione.

Quorum conſulum libelli cum non niſi conſuetudines CVRIAE FEVDALIS MEDIOLANENSIS exhibuerint, contra vero LIBRI FEVDORVM communia REGNI LONGOBARDICI iura feudalia et conſuetudines ſiſtant; diuerſitas vtriusque ſcripti in aprico eſt. Accedit *alterum* non minoris momenti argumentum, quod vtriusque Couſulis ſententiae in Libris Feudorum non modo ſaepius excitentur et laudentur (*a*), ſed et nonnunquam reiician-

(*a*) *II. F.* 51. *§.* 3. diuerſa vtriusque conſulis ſententia refertur. Alibi vtrique, veluti tertiis, teſtimonium defertur, veluti *II. F.* 25. *Tale eſt ſapientum noſtrae ciuitatis conſilium, videlicet Oberti de Orto et Gerardi Capagiſti.* Conf. *II. F.* 23. *II. F.* 28. *et* 30. *II. F.* 32. *II. F.* 34. *§.* 2. *et* 4. *II. F.* 36. *II. F.* 51. *§.* 1. 2. 3. 4. 5. Diuerſus Compilator librorum feudalium nullibi clarius ſe prodit quam *II. F.* 51. *§.* 1. *Quaeſitum* APVD ME *eſſe ſcio;*

antur (*b*): id quod ab *alio* eoque *diuerſo* auctore factum eſſe oportet. Concidit ergo opinio IACOBII CVIACII(*c*), HVBERTI GIPHANII (*d*), SIGISMVNDI FINCKELTHAVSII(*e*), et B. HEINECCII(*f*), *Libros Feudorum* ab Oberto et Gerardo, Conſulibus Mediolanenſibus compilatos eſſe: et eſt plane otioſa diſputatio, vtrum Gerardus LIBRI PRIMI feudorum, Obertus LIBRI SECVNDI et TERTII, quod pla-

ſcio: ſi filius viuente patre dominum offenderit, ita quod feudum amitteret, ſi pater deceſſiſſet, vtrum feudum amittat vel non: ſecundum iſtos ſic, ſecundum GERARDVM *non, et* OBERTVM *ſimiliter.*

(*b*) *II. F.* 32. relata vtriusque Conſulis Gerardi et Oberti ſententia, mox reiicitur his verbis: *Conſules tamen Mediolanenſes nuper in quibusdam omnia contra reſcripſerunt, in quo fere omnes Mediolanenſes conſenſerunt et conſentiunt.*

(*c*) CVIACIVS in *Prolegom. feudor.*

(*d*) HVBERT. GIPHANIVS in *Diſputat. II. Iuris feudalis n.* 36. *et ſq. p.* 33.

(*e*) FINCKELTHAVS in *controuerſ. feud. illuſtr. Diſp. I. §. VII.*

(*f*) HEINECCIVS in *Elem. iur. ciu. ſec. Ord. Inſt. §. XIV. et in hiſt. iur. lib. I. §.* 421.

placuerat CVIACIO (g), an vero vterque Conſul TRIVM PRIORVM LIBRORVM auctor ſit, ceu viſum fuerat GIPHANIO (h).

§. IV.

Conſtitutiones Feudales Friderici I. fontes huius collectionis.

Obſeruandum porro *iura feudorum*, a FRIDERICO I. Imp. in Italia ſancita, longe diuerſa eſſe a noſtra placitorum feudalium Longobardicorum collectione. Cum inſtituta feudalia magis conſuetudinibus quam iure ſcripto regerentur, et iura imperii et dominii directi abſentia et Imperatorum indulgentia mirum in modum euileſcere incepiſſent: e re publica fore arbitrabatur Fridericus, iurium ſupremorum vindicias agere, et quas ipſa neceſſitas flagitabat, feudis dare leges, quas Itali-

(g) CVIACIVS *l. c.* cuius ſententiam propugnat SIGISM. FINCKELTHAVS *Diſput. feud. I. controu.* 7.

(h) GIPHANIVS l. c. n. 42. vbi magno apparatu hanc quaeſtionem tractat.

Italiae proceres in Comitiis probaſſent. Huc redit ſententia Radeuici (*a*), qui *Imp. ad vltimum*, inquit, *de iure feudorum, quod apud Latinos ſcripto nondum ſufficienter expreſſum fuerat, et pene omnes eam iuſtitiam in iniuſtitiam conuerterant, leges promulgauit, quarum capitula praeſenti annotatione ſubiecimus* (*b*). Celeberrima ſunt Italiae ſtatuum Comitia in Campis Roncalicis anno cIↃcLVIII. celebrata, in quibus quatuoruiris Iureconſultis Bononienſibus MARTINO, BVLGARO, IACOBO et HVGOLI-

(*a*) RADEVICVS, Friſingenſis Canonicus, *de geſtis Friderici I. Imp. lib. II. cap. VII. apud* VRSTISIVM *tom. I. p.* 509. *et* LVD. ANT. MVRATORIVM *ſcript. rer. Ital. tom. VI. p.* 788. Radeuicum verbatim fere ſequitur GVNTHERVS in *Ligurino ſiue de geſtis Friderici I. imp. lib. VIII. v.* 590. *inter* REVBERI *ſcript. rer. Germ. p.* 671.

Mox de communi Feudorum iure, quod illa
Perſpicuis nondum ſcriptis expreſſerat aetas,
Has dedit, et ſcripto iuſſit noteſcere leges.

Leges, quas porro in compendio refert Guntherus, ſunt Conſtitutiones Friderici I. in Campis Ronculicis latae.

(*b*) Vid. *not.* (a) ad §. ſeq.

LINO (*c*), nec non conſulibus vniuerſarum fere Longobardiae ciuitatum ſententiam et arbitrium ferentibus, iura Imperii et Dominii di-

(*c*) Horum quatuoruirorum conſiliis omnia fere in iſtis Italiae comitiis moderabatur Fridericus tum in Legibus ferendis tum in cauſis iudicandis, quod obſeruat RADEVICVS l. c. apud VRSTISIVM *cap.* 5. *p.* 508. et MVRATORIVM l. c. *p.* 787. nec non OTTO MORENA *in hiſtoria rerum Laudenſium* apud LEIBNITIVM *ſcript. Brunſv. tom. I. p.* 818. et MVRATORIVM l. c. *pag.* 1015. qui, *Imperator*, inquit, *colloquium in Ronchalia in ſancto Martino proximo venienti maximum ſe habiturum conſtituit; omnibus fere Italiae principibus, Conſulibus etiam ciuitatum in ipſo colloquio ineſſe praecepit, ad quod quatuor etiam principales Legis Doctores, videlicet Bulgarum et Martinum Goſiam, ſeu Iacobum atque Hugonem de Porta Ravegnata, Bononiae Magiſtros intereſſe fecit, omneſque ipſi conuenerunt colloquio nono Calendas Decembris vltra Padum prope eccleſiam S. Petri da Contrebia in* 1158. *anno de indictione ſeptima. Imperator igitur, vniuerſique Principes ac ciuitatum conſules ibi inſimul ſe conuenientes. In primis vocauit Imperator omnes iam dictos Bononiae Magiſtros, iuſſitque eis, quod ipſi iudicarent ei in veritate omnia regalia iura, quaecumque imperii iure in Longobardia ad ipſum ſpectarent ac ſua eſſe deberent.* Qui honos tanti viſus eſt Archigymnaſio Bononienſi, vt *diem XI. Nouembr.* quamquam

recti, infracta ſaepius et labefactata, aſſerere ſtuduit Fridericus I. Imperator. Rem luculenter enarrat OTTO de S. BLASIO, (a) qui, *Fridericus*, inquit, *Imperator conuocatis omnibus Italicis Baronibus generalem curiam apud Roncaliam cum maximo principum conuentu celebrauit: ibique, renouatis antiquis legibus, nouas de ſuo promulgauit, ac diuerſis imperii negotiis expeditis, iura deſueta in conſuetudinem reduxit, et*

MORENA *d. IX. Cal. Dec.* hoc eſt, *d. XXIII. Nou.* notet, quo A. CIƆCCLVIII. auſpicia comitiorum facta, *feſtum* celebrarent. Rem memoriae proditam legimus in vetuſtiſſimo *archigymnaſii Bononienſis Kalendario*; ex quo haec refert ALEXANDER MACHIAVELLI ad SIGONII *Hiſt. Bononienſ. lib. III. not.* 52. *tom. III. oper. p.* 135. II. (Nouembr.) *vacat ob conuentum ad Roncalias per Fridericum Barbaruſſum Caeſarem habitum A.* 1158. *in quo de ſtatu et conditione Italiae vrbium eſt actum ad mentem et iuxta laudum IV. Iuriſconſultorum Bononienſium, per eundem Auguſtum de hoc noſtro Studio Generali aſſumtorum, qui fuerunt DD.* BVLGARVS DE BVLGARIS, MARTINVS GOSIVS, IACOBVS et HVGO, *utri* DE PORTA RAVENNATE, *Ciues omnes etiam Bononienſes, quorum memoria in laude aeterna erit.*

(a) In *Chron. cap.* 14. ap. MVRATOR. l. c. p. 873.

et quo iuris genere ciuitates Italicae ſubiacerent Imperio, iudicialiter exquiſiuit. Quod a Principibus et Legum Dominis (Doctoribus) *diligenter examinatum generali omnium ſententia iudicatur; omnia regalia ciuitatum, vtpote monetas, telonia, nauigia, nec non et dignitates poteſtatum, conſulum, iudicum ad ius ſpectare imperii, electasque a ciuibus ad has dignitates perſonas de manu Imperatoris iure beneficii easdem ſuſcipere.*

§. V.

Illarum diſcrimen ab ipſa collectione.

Quae omnia id tantum euincunt, nonnullas Leges feudales in Comitiis Italiae a FRIDERICO I. IMP. latas et per ſcripturam promulgatas eſſe: ex quibus tamen ſi quis integram Iuris feudalis Longobardici collectionem a Friderico I. confectam eſſe colligeret, nubem pro Iunone venderet. Extant hodienum: in iisque nonnulla de prohibita feudorum alienatione, de poena inueſtituram feudi non petentium, eorumue, qui requiſiti ſeruitia

feu-

ſeudalia non praeſtant, nec non de poena Dominum offendentium, de feudorum diuiſione, de iudicio feudali aliaue ſimilia ſanciuntur. Integras conſtitutiones exhibet RADEVICVS (*a*), eaedemque LIBRIS FEVDORVM inſertae ſunt (*b*).

§. VI.

(*a*) Leges feudales, a Friderico I. latas, mox ſubiungit RADEVICVS *l. c. cap. VII. apud* MVRATORIVM *p.* 787. quas enararre operae pretium videtur, vt *Canonicum Friſingenſem*, dum Fridericum de iure feudorum leges promulgaſſe ait, non de Compilatione iuris feudalis Longobardici, ſed de conſtitutionibus feudorum particularibus loqui, eo euidentius intelligatur. *Leges*, inquit, (de iure feudorum) *promulgauit, quarum capitula praeſenti annotatione ſubiecimus. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, et ſemper Auguſtus. Imperialem decet ſolertiam ita Reipub. curam gerere, et ſubiectorum commoda inueſtigare, vt Regni vtilitas incorrupta permaneat, et ſingulorum ſtatus ingiter ſeruetur illaeſus. Quapropter cum ex praedeceſſorum more vniuerſali Curiae Roncaliae pro tribunali ſederemus, a Principibus Italicis, tam rectoribus Eccleſiarum quam aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum et feuda, quae vaſalli ab eis tenebant, ſine dominorum licentia pignori obligauerant, et quadam colluſione nomine vel libelli vendiderant: vnde debita ſeruitia amittebant,*

§. VI.

Error collectionem Friderico I. tribuen-tium.

Sed haec quidem de ipſis conſtitutionibus Fridericianis, quae partem, quamquam

bant, et bonorum Imperii noſtrae felicis expeditionis complementum minuebant.

Habito igitur conſilio Epiſcoporum, Ducum, Marchionum et Comitum; ſimul etiam Palatinorum, Iudicum, et aliorum Procerum, hac edictali lege, Deo propitio, perpetuo valitura, ſancimus, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima iudicare, ſine permiſſione maioris Domini, ad quem feudum ſpectare dinoſcitur. Vnde Imperator Lotharius tantum in futurum cauens, ne fieret, promulgauit. Nos autem ad pleniorem Regni vtilitatem prouidentes, non ſolum in poſterum, ſed etiam huiuſmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac praeſenti ſanctione caſſamus, et in irritum deducimus, nullius temporis praeſcriptione impediente, emptori bonae fidei de pretio actione contra venditorem competente. Callidis inſuper quorundam machinationibus obuiantes, qui pretio accepto, quaſi ſub colore inueſtiturae, quam ſibi licere dicunt, feuda vendunt et in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud vlterius in fraudem huius noſtrae conſtitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus: plena auctoritate noſtra ſtatuentes, vt venditor et emptor, qui tam

quam exiguam, faciunt noſtrae placitorum feudalium collectionis. Quibus poſitis, mirum forte videbitur, fuiſſe, qui ex

tam illicita contraxiſſe repertus fuerit, feudum amittat, et ad dominum libere reuertatur: ſcriba vero, qui ſuper hoc inſtrumentum ſciens conſcripſerit, poſt amiſſionem officii, cum infamiae periculo manum amittat.

Praeterea ſi quis infeudatus maior quatuordecim annis, ſua incuria vel negligentia per annum et diem ſteterit, quod feudi inueſtituram a primo domino non petierit, tranſacto hoc ſpatio, feudum amittat, et ad dominum redeat.

Firmiter etiam ſtatuimus, tam in Italia quam Alemannia, vt quicunque, indicta publice expeditione, vocatus a domino ſuo, ad eandem expeditionem ſpatio competenti venire ſuperſederit, vel alium pro ſe domino acceptabilem mittere contemſerit, vel dimidium reditus feudi vnius anni domino non miniſtrauerit, feudum, quod ab Epiſcopo, aut ab alio domino habet, amittat: et dominus feudi in vſus ſuos illud redigendi omnibus modis habeat poteſtatem.

Praeterea Ducatus, Marchia, Comitatus de caetero non diuidatur: aliud autem feudum, ſi conſortes voluerint, diuidatur: ita vt omnes, qui partem feudi habent iam diuiſi, vel diuidendi, fidelitatem domino faciant: ita tamen vt

§. VI.

Error collectionem Friderico I. tribuentium.

Sed haec quidem de ipſis conſtitutionibus Fridericianis, quae partem, quamquam

bant, et bonorum Imperii noſtrae felicis expeditionis complementum minuebant.

Habito igitur conſilio Epiſcoporum, Ducum, Marchionum et Comitum; ſimul etiam Palatinorum, Iudicum, et aliorum Procerum, hac edictali lege, Deo propitio, perpetuo valitura, ſancimus, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima iudicare, ſine permiſſione maioris Domini, ad quem feudum ſpectare dinoſcitur. Vnde Imperator Lotharius tantum in futurum cauens, ne fieret, promulgauit. Nos autem ad pleniorem Regni vtilitatem prouidentes, non ſolum in poſterum, ſed etiam huiuſmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac praeſenti ſanctione caſſamus, et in irritum deducimus, nullius temporis praeſcriptione impediente, emptori bonae fidei de pretio actione contra venditorem competente. Callidis inſuper quorundam machinationibus obuiantes, qui pretio accepto, quaſi ſub colore inueſtiturae, quam ſibi licere dicunt, feuda vendunt et in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud vlterius in fraudem huius noſtrae conſtitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus: plena auctoritate noſtra ſtatuentes, vt venditor et emptor, qui tam

quam exiguam, faciunt noſtrae placitorum feudalium collectionis. Quibus poſitis, mirum forte videbitur, fuiſſe, qui ex

tam illicita contraxiſſe repertus fuerit, feudum amittat, et ad dominum libere reuertatur: ſcriba vero, qui ſuper hoc inſtrumentum ſciens conſcripſerit, poſt amiſſionem officii, cum infamiae periculo manum amittat.

Praeterea ſi quis infeudatus maior quatuordecim annis, ſua incuria vel negligentia per annum et diem ſteterit, quod feudi inueſtituram a primo domino non petierit, tranſacto hoc ſpatio, feudum amittat, et ad dominum redeat.

Firmiter etiam ſtatuimus, tam in Italia quam Alemannia, vt quicunque, indicta publice expeditione, vocatus a domino ſuo, ad eandem expeditionem ſpatio competenti venire ſuperſederit, vel alium pro ſe domino acceptabilem mittere contemſerit, vel dimidium reditus feudi vnius anni domino non miniſtrauerit, feudum, quod ab Epiſcopo, aut ab alio domino habet, amittat: et dominus feudi in vſus ſuos illud redigendi omnibus modis habeat poteſtatem.

Praeterea Ducatus, Marchia, Comitatus de caetero non diuidatur: aliud autem feudum, ſi conſortes voluerint, diuidatur: ita vt omnes, qui partem feudi habent iam diuiſi, vel diuidendi, fidelitatem domino faciant: ita tamen vt

ex iisdem teſtimoniis, quibus de feudis nonnihil ſigillatim ſancitum eſſe euicimus, integram feudorum, quae hodie ex-

vt vaſallus plures dominos non compellatur habere, nec dominus feudum ſine voluntate vaſallorum ad alium transferat.

Inſuper ſi filius vaſalli dominum offenderit, pater a domino requiſitus, adducat filium ad ſatisfaciendum domino, vel a ſe filium ſeparet: alioquin feudo priuetur. Si vero pater vult eum deducere vt ſatisfaciat, filius autem contemnit, patre mortuo in feudum non ſuccedat, niſi prius domino ſatisfecerit: parique modo vaſallus pro omnibus ſuis domeſticis ſatisfaciat.

Illud quoque praecipimus, vt ſi vaſallus de feudo vaſallum habuerit, et vaſallus vaſalli dominum domini ſui offenderit, niſi pro ſeruitio alterius domini ſui hoc fecerit, quem ſine fraude antea habuit, feudo priuetur, ad dominum ſuum, a quo ipſe tenebat, reuertatur: niſi requiſitus ab eo, paratus fuerit ſatisfacere maiori domino, quem offendit: et niſi vaſallus, idemque dominus a ſuo domino requiſitus, eum qui maiorem dominum offendit, requiſierit, vt ſatisfaciat, feudum amittat.

Praeterea ſi de feudo inter duos vaſallos ſit controuerſia, domini ſit cognitio, et per eum controuerſia terminetur. Si vero inter dominum et vaſallum lis oriatur; per Pares Curiae a domino ſub debito fidelitatis coniuratio terminetur.

Illud quoque ſancimus, vt in omni ſacramento fidelitatis, Imperator nominatim excipia-

extat, collectionem Friderici auctoritate adornatam, et publice promulgatam aſſeruerint. GVNTHERI et RADEVICI ſententia male intellecta, deceptus CAROLVS SIGONIVS (*a*) multos in transverſum egit. "Poſtremo, inquit, de iu„re feudorum diligentius ſanctum eſt, de „quo nullum dum apud Italos ſcriptum ac„curatius erat, resque ad inſignem iniqui„tatem peruenerat. Feudalium legum „prooemium, nam leges ipſae in promtu „ſunt omnibus, tale fuit. Fridericus Dei „gratia Romanorum Imperator et ſemper „Auguſtus. Imperialem decet ſolertiam „ita reipublicae curam gerere, et ſubie„ctorum commoda inueſtigare, vt regni „vtilitas incorrupta permaneat, et ſingu„lorum ſtatus iugiter ſeruetur illaeſus. „Qua propter cum ex praedeceſſorum more „vbi-

piatur. Altera Eiusdem Imperatoris conſtitutio, ibidem ſubiuncta, *de pace tenenda* agit.

(*a*) Conf. *II. F.* 27. 53. 55. 56.

(*b*) *De regno Italiae lib.* XII. *tom.* II. *Oper. pag.* 740.

„vniuerſae curiae Roncaliae pro tribunali „ſederemus, a principibus Italicis tam Re- „ctoribus eccleſiarum, quam aliis fidelibus „regni non modicas accepimus querelas, „quod beneficia eorum et feuda, quae va- „ſalli ab eis tenebant, ſine dominorum „licentia pignori obligauerant, et quadam „colluſione nomine libelli vendiderant, vn- „de debita ſeruitia amittebant, et bonorum „imperii noſtrae felicis expeditionis com- „plementum minuebant. Habito itaque con- „ſilio Epiſcoporum, Ducum, Marchionum et „Comitum, ſimul etiam Palatinorum, iudi- „cum et aliorum procerum hac edictali lege „ſancimus" etc. Quae referenti Sigonio ad manus fuiſſe RADEVICVM, nemo non videt, qui antea ex Radeuico relata cum his contenderit; quamquam vir doctus pro temporum, quibus ſua condidit, more auctorem ſuum non laudauerit. In eo tantum falſus, quod I.) LEGES FEV- DALES, a FRIDERICO I. conditas, habeat pro LIBRIS FEVDORVM, et II.) prooemium, quod pariter ex Radeuico

exci-

excitat, habeat pro PROOEMIO OMNIVM LEGVM FEVDALIVM, quae hodie ad manus ſunt, hoc eſt, LIBRORVM DE FEVDIS: cum ſit prooemium VNIVS CONSTITVTIONIS, a Friderico I. de prohibita feudorum alienatione in Campis Roncalicis latae, quae iisdem verbis a RADEVICO *(b)* et in LIBRIS FEVDORVM *(c)* refertur.

§. VII.

Aetas huius collectionis ſub Friderico I.

Egimus de nonnullis collectionis noſtrae fontibus, quas qui cum ipſa collectione pro eisdem habent, non poſſunt non omnia miſcere et turbare. Iam vero ex OBERTI et GERARDI ſcriptis, ex FRIDERICI I. Imp. quas in Campis Roncalicis tulerat, Legibus, nec non ex anteriorum Imperatorum CONRADI SALICI, LOTHA-

(b) De geſtis Friderici I. lib. II. cap. IV. p. 507. Conſtitutionem Friderici I. ex Radeuico ſupra §. V. not. *a.* dedimus.

(c) II. F. 55.

THARII II. ac HENRICI conſtitutionibus, aliisque Longobardiae et curiarum feudalium Mediolanenſis, Placentinae, Cremonenſis aliarumue conſuetudinibus, regnante FRIDERICO I. Imperatore, adornata eſt, quae ſub titulo, CONSVETVDINES FEVDORVM, Corpori iuris ciuilis annexa eſt compilatio. Friderici I. temporibus eam vindicamus auctoritate vetuſtiſſimi KALENDARII ARCHIGYMNASII BONONIENSIS, in cuius menſe *Octobri* haec notantur (*a*).

"23.

(*a*) Teſtimonium ex cit. Kalendario exhibet ALEXANDER MACHIAVELLI *in not. ad Sigonii hiſtor. Bonon. lib.* III. *Oper. tom.* III. *p.* 150. *not.* 84. Vetuſtiſſimum Kalendarium accurate, expoſitisque ſingulis temporis, diei, locique circumſtantiis, multa egregia commemorat, quae in Academia Bononienſi inprimis, nec non quae in Italia ſeculo XII. et XIII. contigerunt, ſingulis ſub ſingulorum menſium diebus digeſtis relatisque. Solent eiusmodi Kalendaria plures auctores habere, coaeuos omnes, quae ſua cuiusque aetate acciderunt, diligenter annotantes; vt adeo Kalendarium illud ſingulis factis coaevum videatur, eo maiori fide dignum, quod quae in eo exponuntur, in eo loco, quo contige-

"23. Anniv. funeris inſigniſſ. D. HV-
„GOLINI de Porta Rauennate, Iuris Con-
„ſulti, et LIBRI FEVDORVM, Bononiam
„a FRIDERICO I. AENOBARBO Caeſa-
„re miſſi, GLOSSATORIS, ac publici le-
„gum in noſtro Archigymnaſio interpre-
„tis, et in omnibus ſocii D. Bulgari et
„aliorum noſtrorum doctorum, vt infra ad
„diem 31. Ianuar. Oſſa eius requieſcunt
„ad S. Victorem in Barbiano, vbi ſolen-
„niter fuit tumulatus A. S. 1168."

§. VIII.

Vlterior eius probatio. Partitio collectionis in libros duos, gloſſae debetur.

LIBRVM FEVDORVM a Friderico I. Bononiam miſſum eſſe, diſerte traditur. Sed qualis is *Liber Feudorum*? Libros Feu-

tigerunt, literis conſignata ſint. *Apologiam pro Kalendario archigymnaſii Bononienſis* ſcripſit idem ALEXANDER MACHIAVELLI. Plura de huius Kalendarii fide expoſuit B. PARENS in diſſertatione praelim. ad. *ad nouam Editionem Corpor. Iur. Canon.* §. XII. *lit.* g.

Feudorum, quos hoc nomine hodie compellamus, deſignari, nullus facile dubitabit. Nondum olim in *duos libros* diuiſa erat conſuetudinum Longobardicarum collectio, cum *Gloſſae* debeamus in duos libros diſtinctionem. *Liber Feudorum* vocari ſolebat. Odofredus (*a*) LIBRVM FEVDALEM vocat; Petr. Rauennas (*b*), ſeculi XV. ICtus, LIBRVM FEVDORVM. Obſeruat ERICVS MAVRITIVS (*c*), antiquiſſimam editionem Feudorum, quae eſt Tubingae in Bibliotheca ſtipendii Martiniani, vnum ſolum librum feudorum agnoſcere. Non eſt ergo, quod vereamur, ne cui in mentem veniat, Oberti collectionem, non in vſus publicos ſed in gratiam

(*a*) ODOFREDVS in *comment. ad Auth. Caſſa C. de SS. eccleſ.* vid. infra §. XIII.

(*b*) P. RAVENNAS in *conſuet. feudor.* p. I. vid. infra §. XII.

(*c*) ERIC. MAVRITIVS in *Poſitionib. iur. feud. dec.* I. n. 8. inter *opuſc.* p. 701. Vindicias libri vnici feudorum magno teſtimoniorum apparatu egit GOTH. DAN. HOFFMANNVS *de vnico iuris feudalis Longobardici libro*, Tub. 1754. ibique ſententiam Erici Mauritii curatius exponit.

am filii Anſelmi conſcriptam, non ius feudale commune ſed conſuetudines Mediolanenſes complectentem, ab Imperatore Bononiam miſſam eſſe. Adiuuant ſententiam non inidonea argumenta, ex ipſa collectione repetita, quae eam eodem aeuo Friderici I. quo LIBRVM FEVDORVM Bononiam miſſum eſſe didicimus, confectam eſſe euincunt. Definit profecto in *Friderici I.* conſtitutionibus, nec vllas ſequiorum Imperatorum ſanctiones admixtas habet. Nec minor ſane coniectura capienda ex II. F. XXXIII. §. 4. *In quibus etiam cauſis ſacramentum calumniae a Domino non exigetur, quod* NVPER *Rex Fridericus in Romandiola conſtituit.* Quorum verborum vis eſt, nuper, ſeu non ita pridem, paucis abhinc annis, id a Friderico conſtitutum eſſe. Errorem ſcriptionis, quem et alibi in libris feudorum obſeruat (*d*), hoc loco notat CVIACIVS(*e*), pro

(*d*) Vid. II. F. 40. ibi: *Haec ſunt capitula, quae rex Conradus fecit in Romandiola de beneficiis.*
(*e*) CVIACIVS in *not. ad libr. feud.* II. *tit.* XXXIII. §. 4.

pro IN ROMANDIOLA rectius (*f*), APVD RONCALIAS legendum eſſe cenſens, ſeu in campis ſuper Padum non procul a Placentia;

Eſt locus Italiae, modicum feiunctus ab vrbe,
Cui quia pulchra ſitu placet, inde Placentia nomen,
Planus, et Eridani placido iunctiſſimus amni,
Effundit latos placido ſpacioſo limite campos (*g*).

Sed

(*f*) Vix calculum meretur coniectura ANDREAE RIVINI de *Maiumis Maicampis et Roncaliis cap.* VIII. §. XI. apud IO. GEORG. GRAEVIVM in *Synt. var. diſſert.* p. 613. qui Italos ex Roncalia hinc *Rom-walia* ſuae linguae aptius *Romandiolam* feciſſe opinatur. Nam et ipſum nomen camporum Roncaliae a terris nemoribusque *roncatis*, ſeu aratro ſubactis, originem coepiſſe, ex vſu loquendi apud Italos probauit MVRATORIVS in *Antiquitatib. Italiae tom. II. p.* 180. ſq.

(*g*) GVNTHERVS in *Ligurino lib.* II. *v.* 35. Morem Imperatorum, conuentus Ordinum Italiae in Campis Roncalicis inſtituendi, luculenter exponunt IOSEPH. ANTONIVS SAXIVS in *notis ad Morenae hiſtor. Laudenſ.* apud

Sed non eſt, cur lectio mutetur, cum Fridericus I. non modo a. 1159. Bononiae, in vicinia Romandiolae (*h*), ſed et alium adhuc procerum conuentum a. 1161. habuerit. Si id igitur, quod in excitato textu collectionis noſtrae ex conſtitutione Friderici refertur, non ita pridem in Comitiis Italiae cautum eſt, ſi porro aliae conſtitutiones Friderici I. collectioni noſtrae II. F. 27. 53. 55. 56. inſertae, teſte Radeuico, in Campis Roncalicis latae ſunt (*i*): conſequitur, vt LIBER FEV- DO-

apud ANT. LVD. MVRATORIVM *tom.* VI. *ſcript rer. Ital. p.* 1019. *not.* 14. ANDR. RIVINVS l. c. p. 611. LOUIS CHANTEREAU LE FEBURE *dans le Traité des Fiefs* p. 189. et 318. GEBAVERVS in annotat. *ad Conſtit. de expedit. Rom.* p. 250. E. A. HEILIGER *de campis Roncaliae habitisque ibi curiis ſolennibus* §. 21. *Gottingae* 1751.

(*h*) Obſeruandum enim eſt, illam *Italiae* partem, quae Exarchatus Rauennatis fines complectitur, veteribus *Romandiolam* appellatam eſſe: ceu docet *Gaſp. Beretta in Chorograph.* apud MVRATORIVM *tom. X. ſcript. Italiae p.* 45. *n.* 28.

(*i*) Vid. ſupra §. V. not. (*a*) et II. F. 55. ibi: dum

DORVM intra *annum* CIƆCLVIII. quo *Comitia* apud Roncalias acta, et *annum* CIƆCLXVIII. quo obiit *Hugolinus*, Libri feudorum gloſſator, in lucem prodierit.

§. IX.

Collectionis gloſſator Hugolinus a Porta Rauennate.

Collectionis noſtrae GLOSSATOR in excitato teſtimonio vocatur HVGOLINVS A PORTA RAVENNATE (*a*), inter quatuor-

dum ex praedeceſſorum noſtrorum more vniuerſalis curiae Ronchaliae pro tribunali ſederemus.

(*a*) Idem cognomen tulit Collega HVGOLINI, IACOBVS A PORTA RAVENNATE, vterque inter Iuris interpretes Bononienſes cum MARTINO et BVLGARO multa laude conſpicuus. Quae de his ICtis GVIDO PANCIROLLVS de *claris Leg. interpret. lib.* II. *cap.* XIV. *et ſq.* memorat, nonnihil ſpicilegii loco ex laudato Kalendario adiicere, non iniucundum fore arbitror. In Bulgari eiusque trium collegarum memoriam haec ad *d.* 31. *Ian.* refert Kalendarium in *oper.* SIGON. *tom. III. not.* 68. *p.* 141. 113. *Anniv. Fun. Inſigniſſ. I. C. et leg. Gloſſat. D. Bulgari de Bulgaris Ciu. Nobil. Bonon. et Pub. Iur. in hoc archigymnaſ. Interp. qui a Frid. Caeſ. Barbaruſſo fuit cum aliis tribus Conciv. et*

tuoruiros, qui tunc maxima iurisprudentiae laude Bononiae florebant, et inter aſſiduos Friderici I. quorum conſiliis in rebus Italiae explicandis vtebatur, ſatellites fere

et huius Stud. gen. colleghis ſuis aſſumtus ad laudum ferendum ſuper Iur. Imp. quoad Stat. et Condit. Italiae a. 1158. *in conuentu hab. ad Roncalias, itemque rurſus in conuentu hab. Bonon. d.* 30. *Martii* 1159. *in cauſa defectionis Mediol. ac de a.* 1161. *fuit miſſus a Pop. Bonon. c. aliis ciu. et Doct. ad eundem Auguſtum pro venia et pace conſequenda, et demum meritis, nomine, et gloria onuſtus, hac die obiit A. S.* 1166 *deducto funere ad aedes S. Proculi, vbi apud Maiores humatus eſt, retento, quod iam fuerat adeptus cognomento, quo appellatus eſt, Os aureum.* Ex his itaque tam de anno mortis Bulgari, quam de loco, quo humatus eſt, conſtat; de quo non conſtare ſcribit PANCIROLLVS *l. c. p.* 104. Eiusdem Bulgari et Iacobi memoria ob priuilegium Academiae Bononienſis in celebri *Auth. Habita C. ne pat. pro filio.* cuius adumbrationem et delienationom adornauerant, in citato Calendario *l. c. p.* 135. *not.* 57. celebratur, eoque nomine dies impetrati priuilegii videlicet d. 23. Nou. Academiae ſolennis fuit. 23. *vacat in memoriam editae apud Ronchalias per Frid. Caeſ. Aug. Aenobardum a.* 1158. *Auth. Habita C. ne fil. pro patre lib.* 4. *tit.* 13. *poſt L.* 5. *cuius extenſores fuerunt DD. Bulgarus de Bulgaris et Iacobus de Porta Rauennate, quae conſtitutio fuit promulgata pro commodo Scholaſticorum et pro dignitate Studii cum magno honore noſtri Archigymnaſii.*

fere primus. Sed gloſſae eius aetatem non tulerunt, et vix ab aliis commemorantur, niſi quod GVIDO PANCIROLLVS (*b*) inter feudorum gloſſatores Hugolinum referat. Si quid coniecturae dandum, luminibus Hugolini gloſſatorum ſequiorum et COLVMBINI potiſſimum auctoritas adeo offeciſſe videtur, vt gloſſarum eius memoria vix ac ne vix quidem ad nos peruenerit. Quanto enim applauſu ſequior aetas exceperit Columbini in Libros feudorum gloſſas, vnus IASON, ſeculi XV. ſcriptor et ICtus, in *praeludiis feudorum* abunde declarat; qui, "Super hoc opere, „inquit, plerique antiquorum gloſſas ſcri„pſerunt, ſed ceteris plenius IACOBVS „COLVMBINVS DE REGIO gloſſas ple„nas et vtiles adiecit, quas noſtris cordi„bus inſcriptas vel hodie inſculptas habe„mus et illis vtimur." In eamdem rem ex Aluarotto in prooemio feudorum obſeruat GVIDO PANCIROLLVS (*c*), tanta, pro

(*b*) In *theſauro Variar. Lectionum Lib.* I. *cap.* XC.

(*c*) De *claris interpretib. lib.* II. *c.* XXXI. *p.* 123.

pro iſtius aeui ratione, eruditione gloſſas Columbini in feuda compoſitas fuiſſe, vt poſt eum nullus ad id opus alias addere auſus fuerit. Eadem igitur, qua ceteris Iuris Ciuilis gloſſatoribus Accurſius, iuris feudalis interpretibus et Hugolino auctoritate praeſtitit Columbinus. Ceterum Hugolini noſtri annum emortualem cIↃCCLXVIII. recte notat Calendarium, quocum conuenit, quod in eius honorem Bononiae apud S. Victorem poſitum eſt, Epitaphium (*d*).

§. X.

(*d*) Epitaphium, quod GVIDO PANCIROLLVS de *clar. interp.* lib. II. cap. XVII. p. 106, exhibet, tale eſt:

Tranſiit, vt viuat, mundanae legis alumnus,
Mors ſit ei requies, vltima vita Deus.
Vrbis honor, mundi ſpeculum, iacet hic Vgolinus:
Spiritus aſtra tenet, corpora ſignat humus,
Cui fortuna manum reuocans conceſſa tetendit,
Cui lex vberius vbera plena dedit.
Mens legum cecidit, reliqui latitant Phariſaei,

Chri-

Digitized by Google

§. X.

Auctor collectionis incertus.

Idemne forte HVGOLINVS Collectionis noſtrae AVCTOR? Sane non adſtipulatur teſtimonium excitati Kalendarii, quod Hugolinum tantum Libri Feudorum, a Friderico Bononiam miſſi, *Gloſſatorem* appellat: nec alia ſuppetunt, quae auctorem prodant, antiquitatis monumenta. Certe quisquis fuerit auctor, quem vulgo FEVDISTAM appellant, eum non *Bononienſem*, ſed *Mediolanenſem* fuiſſe oportet, cum paſſim mores Curiae feudalis Mediolanenſis, quam NOSTRAM vocat, cum iure feudali communi componat. Itaque dum renouationem inueſtiturae temere neglectam inter cauſas omittendi beneficii

Chriſtus, qui nouit parcere, parcat ei.
Mens reſpondebat veraci conſona linguae,
Et par effectus cordis et oris erat.
Fraudis, nequitiae, liuoris, et ambitionis
Inter conciues vnicus hoſtis erat.
Mors voluit Mundum ſub certa lege teneri;
Nam cinis eſt hodie, qui fuit ignis heri.
An. Domini M. CLXVIII.

ficii refert, mox ſubiicit; *ſed in noſtra Curia Mediolanenſi non obtinet* (*a*). Pari ratione Obertum et Gerardum, quorum ſententias exponit, *noſtrae Ciuitatis ſapientes* nuncupat, quos *Conſules Mediolanenſes* fuiſſe inter omnes conſtat. "Reſpondi, inquit (*b*), ſuper negotio iſto, quod litteris inſinuaſti nobis, tale eſt Sapientum noſtrae ciuitatis conſilium, videlicet Oberti de Orto et Gerardi Capagiſti, vt etc.

§. XI.

Finis et ratio collectionis huius priuatae.

Vt de compagine et indole LIBRI FEVDORVM recte ſtatuas, tota compilatio ex *genio* ſeculi XII. quo adornata, aeſtimanda eſſe videtur, quo in variis iuribus ex Legum variarum praeceptis et ex ſcriptorum ſententiis colligendis induſtriam et famam collocabant doctores. *Canonum compilationem* eodem ſeculo anno clↃcLI. adornauerat *Gratianus*, vndique ex

(*a*) *II. F.* 24. *Conf. I. F.* 1. *II. F.* 3. *et* 10.
(*b*) *II. F.* 25.

ex ſententiarum, canonum, legum fragmentis conſarcinatam, magno applauſu Bononiae exceptam (*a*). Simili fere conſilio, vel eius exemplo excitatus Feudorum compilator, ne et *iuris beneficiarii collectio* deeſſet, et Legiſtae non minori diligentia ad vſum feudorum docendum et excolendum in *Academia Bononienſi* ducerentur, ex Oberti et Gerardi (*b*) aliorumque ſcri-

(*a*) Quod multis rerum argumentis expoſuit B. PARENS in diſſert. Prooem. ad *nou. Corporis Iuris Can. Edit.* §. 10.

(*b*) Praeter Oberti et Gerardi alia adhuc extitiſſe *de beneficiis* ſcripta, non fruſtra colligitur ex II. F. 32. et 36. vbi multorum ſententiae referuntur, ibi: *Obertus et Gerardus et multi alii.* Ex FVLBERTI ſeu PHILIBERTI, qui ſub ſec. XI. auſpiciis ſedi Carnotenſi praefuit, ad Ducem Aquitaniae data epiſtola, in *c.* 18. *C. XXII. qu. V.* relata, quaedam *II. F.* 6. de fidelitatis forma exponuntur. VRBANI II. conſtitutio ex Synodo, vt videtur, Claromontana, de rebus et bonis eccleſiarum in feudum non dandis *I. F.* 6. excitatur. Leges beneficiariae CONRADI SALICI *I. F.* 1. §. 2. *II. F.* 9. 16. 40. quas recte CONRADO II. vindicat vir Ampliſſimus IO. AD. KOPPIVS *in hiſt. iur.* P. III. p. 96. HENRICI III. *II. F.* 57.

LO.

ſcriptis, Imperatorum conſtitutionibus, rebus in curiis feudalibus iudicatis, vndique collecta fragmenta in titulos, ordine non vbiuis idoneo, nec limato vbiuis iudicio, digeſſit, ipſe in exponendis contra ſententium opinionibus ſaepe adeo dubius, vt vtriusque vel plurium ſententias referre, quam quidquam definire maluerit (c).

§. XII.

Approbatio eius, a Friderico I. in vſus Academicos facta, diuerſa eſt ab authentica.

Addit Vetuſtiſſimum archigymnaſii Bononienſis Kalendarium, librum feudorum a Friderico I. Barbaroſſa BONONIAM MIS-

SVM

LOTHARII II. *I. F.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. *II. F.* 38. 44. 52. (quas eo in primis argumento, quod ius in feudis ſuccedendi, filiis et nepotibus a Conrado II. datum, his conſtitutionibus confirmetur, *Lothario II.* recte tribuit Cel. KOPPIVS l. c. P. III. p. 98.) et multae conſtitutiones FRIDERICI I. paſſim iam notatae, in libris feudorum referuntur.

(c) E. g. *I. F* 9. *II. F.* 17. 28. 36.

SVM eſſe. Ex qua transmiſſione ſi quid colligendum, hoc erit, Imperatorem pro iſtius aeui more Archigymnaſio Bononienſi librum feudorum eo nomine commendaſſe, vt eodem *in Praelectionibus* vterentur. Solenne erat Iurium interpretibus in Academia Bononienſi, non ſine publica indulgentia recitationes publicas ad Librum aliquem inſtituere, eamque conceſſionem vel ab Auguſtali auctoritate in iure ciuili, vel a ſede Apoſtolica in Iure canonico impetrare. Nondum viginti anni abierant, quo GRATIANVS, opere ſuo perfecto, ſtudioſe ab Academia Bononienſi efflagitauerat, ſtudiis ſuis apud EVGENIVM PP. III. efficeret, vt Decretum *venia eius poſſet publice legi et explicari* (a): eiusque rei indulgentiam fecerat Pontifex, literis ad Academiam anno MCLII.

(a) Verba ſunt citat *Kalendarii archigymnaſii Bononienſis* ex notis ALEX. MACCHIAVELLI ad Sigonii *hiſtor. Bonon. tom. III. op.* p. 128. Rem omnem vberius illuſtrat B. PARENS in *cit. diſſ. Prooem. ad Corp. Iur. Can.* p. 13.

MCLII. directis, *per quas dabat ſuum* PLACET *ſuper hoc, quod compilatio magiſtri Gratiani, ſuperiori anno per eum huic lyceo oblata, et a dicto Domino archidiacono Romam miſſa, vt ſana et canonica, publice poſſet legi et explicari* (*b*). Eamdem indulgentiam a Friderico I. Imp. Libri Feudorum Auctor eo facilius inpetrauerat, cum noua placita Feudalia, in campis Roncalicis non ita pridem lata, eidem inſeruiſſet. Quae Libelli ad Academiam transmiſſio et commendatio quantum ab authentica comprobatione differat, res ipſa loquitur, cum illa *praelectionum publicarum* veniam faciat, haec vim legis tribuat, illa *vſum Academicum et doctrinalem*, haec publicum in foris et iudiciis concernat: vt adeo hanc ex illa concludere, nil aliud foret, quam a diuerſis ad diuerſa argumen-

(*b*) Vid. cit. *Kalendarium l. c.* Ex eodem more Decretalium collectiones Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clementis V. ad *Studia generalia* ſeu *Vniuerſitates* in vſus Academicos et publicarum praelectionum miſſae ſunt; qua de re egi in diatr. *de Clementinis* §. II. et III.

mentari. Quid? quod Legum, in Italiae regno ferendarum, poteſtas non ab vno Imperatoris arbitrio et prouidentia pendebat, ſed vt conſilium et conſenſus Ordinum et ſtatuum ſeu primatum Regni accederet, opus erat (c). Quod ſi vlla ex re certe ex *prooemio* Friderici I. ad conſtitutionem feudalem, in Comitiis Roncalienſibus ex Italicorum Procerum conſilio et ſuffragiis latam (d), apparet. Qui ergo Libro Feudorum ex ſola transmiſſione ad Academiam Bononienſem auctoritatem principalem et authenticam acceſſiſſe, ſtatui poteſt? Fallit GOLDASTVS (e), qui ſine auctore, ſine teſte, in omnium ſcriptorum de re momentoſa ſilentio, Librum feudorum legis ad inſtar promulgatum eſſe exiſtimat. SIGONIVM vero prooemium

(c) Quod euicit Doctiſſimus MVRATORIVS *in differt. XII. de legibus Italicorum*, quae extat in eiusdem Antiquitat. Ital. tom. II. p. 236.

(d) Vid. not. *ad* §. V.

(e) In *Praef.* ad *tom.* I. derer Reichsſatzungen.

um vnius conſtitutionis Fridericianae,quod fruſtra pro prooemio Libri Feudorum habuerat, in errorem eiusdem ſententiae adduxiſſe, ſupra vidimus. (§. VI.) Totius ſane operis ſtructura collectionem *priuato ſtudio* factam eſſe prodit. Eſt illud auctori familiare, multorum ſententias exponere; omnibus nonnumquam in medio relictis, vel etiam non ſine contradictionis ſeu antinomiae nota allatis (*f*): quod non eſt legislatoris. Accedit, quod et antiqui ICti opus illud tantum pro priuato habuerint, haeſitantes adhuc, vtrum ex eo cauſae feudales decidi iure poſſent, auctoritatem eius *non niſi* ex longaeua receptione velut ab immemoriali praeſcriptione adſtruentes. Quam in rem aeuo Maximiliani I. haec ſcripſit PETRVS RAVENNAS (*g*): "Dubitatur primo an Li„ber

(*f*) *I. F.* 9. *II. F.* 28. *pr.* §. 2. *et* 3. *II. F.* 30. *II. F.* 36. *et I. F.* 6. §. 2.

(*g*) Extat ſcriptum eius ſub titulo: PETR. RAVENNATIS, Itali, I. V. Doctoris clariſſimi

„ber feudorum ſit auctorizabilis, ita quod „in cauſis et iudiciis et in ſcholis poſſimus „allegare ea, quae continentur in ipſo, „ſicut ea, quae continentur in ceteris li„bris legalibus? Et circa hoc doctores „eſſundunt multa verba. Tu breuiter con„cludas, quod ſic: quia ita eſt communis „opinio in omnibus Studiis vltramontanis „et citramontanis, et omnes doctores ita „tenent, quia nos videmus multas leges „Imperatorum in hoc volumine inſertas, „et etiam aliae deciſiones ſunt ſeruandae: „quia ſemper ita eſt obſeruatum, et a „tanto tempore citra, cuius initii non ex„tat memoria in contrarium.

§. XIII.

Conſenſus interpretum, eandem vindicantium aeuo Friderici I.

Quae de collectionis Placitorum feudalium aetate fide vetuſtiſſimi Kalendarii

ex-

mi et Equitis Aurati, *in conſuetudines feudorum Compendium vtiliſſimum*; cuius altera editio prodiit Colouiae A. 1567. vbi mox ab initio in praeludiis feudor. excitata refert. Idem libellus inſertus eſt *Tractat. Tract. tom.* X. P. II. *fol.* 10.

expoſuimus, euincunt, recte ſenſiſſe viros doctos, qui quamquam idoneis teſtimoniis deſtituti, coniecturis tamen primordia compilationis iuris feudalis ad aeuum Friderici Imp. I. retulerunt; niſi quod eorum nonnulli de eius auctoribus, quos Gerhardum et Obertum faciunt, alii de Principali eius auctoritate non adeo accurate rationes inierint. (§. II. et V.) THOMAS CRAGIVS (*a*) natales eius ſub Friderico I. circa annum cIↃcLXX. quaerit: quamquam aliquot annis antiquior ſit, Gloſſatore eius Hugolino a Porta Rauennate iam anno cIↃcLXVIII. defuncto. Recte GE. ADAMVS STRVVIVS (*b*) eam a priuato quodam tempore Friderici I. ex variorum prudentum et propriis quoque obſeruationibus et annotationibus collectam eſſe exiſtimat. Quo teſte illuſtris SENCKENBERGIVS (*c*) eamdem ab HVGOLINO PRESBYTERO ſub

(*a*) In *Iure feud. lib. I. tit. VI.* §. 5.

(*b*) In *Synt. Iur. Feud.* cap. I. §. 15. n. 2.

(*c*) In *Primis lineis iur. feud.* P. I. cap. IV. §. 81.

ſub FRIDERICO I. adornatam eſſe cenſeat, non indicat: cum tamen Hugolinus Presbyter ſub Friderico II. non ſub Friderico I. vixerit (*d*). Eruditam *de prima Placitorum feudalium collectione coniecturam in Amoenitatibus iuris feudalis* (*e*) propoſuit BVDERVS, veriſimili, a conſtitutionibus in campis Roncalicis latis deducta ratione, eamdem Friderici I. temporibus vindicans; quamquam altera viri docti coniectura, qua huius compilationis delineationem in Comitiis Roncalicis factam eſſe opinatur, ex ipſa totius compilationis ſtructura, quae magis Miſcellionem quam Legislatorem auctorem redolet, parum probabilis ſit. Ex eo, quod *particulares* quaedam de feudis conſtitutiones in comitiis Roncalicis latae ſint, quodue de iuribus Imperii et Dominii directi ex quatuoruirorum Bononienſium ICtorum ſuffragiis, quaedam ſtatuerit Fridericus, vix quidquam inferri poſſe videtur, ex quo *compila-*

(*d*) Vid. infra §. XV.

(*e*) N. I. p. 1.

pilatio, cui particulares conſtitutiones inſertae, Comitiis Procerum Italiae vindicari queat.

§. XIV.

Error eam tribuentium aeuo Friderici II.

Alii in alia omnia eunt, in iisque Doctiſſimi viri, CONRINGIVS (*a*), SCHILTERVS (*b*), VVLTEIVS (*c*), THOMASIVS (*d*), STRVVIVS (*e*), BVRIVS (*f*), WOLFFIVS (*g*), ad FRIDERICI II. aeuum collectionem noſtram referunt, ab Hugolino ICto Bononienſi confectam arbitrati. Rem omnem teſtimonio ODOFREDI

(*a*) *De Origine iur. Germ. c.* 25. *in f. p.* 153.

(*b*) In *Praefat. ad Ant. Mincuccium de feudis §. IV.*

(*c*) *De feudis lib. I. cap.* 1. *n.* 7.

(*d*) In *Selećt. feudal. tom. I. p.* 66.

(*e*) In *hiſt. iur. cap. VIII. §.* 10. et in *iurisprud. feud. cap. III. §. VII.* et qui Struuium ſequitur FLEISCHERVS in *iurisp. feud. p.* 32.

(*f*) In der Erläuterung des Lehnrechts *p.* 96. *et ſq.*

(*g*) In *elementis iur. feud. cap. II. §. XVI.*

DI (*h*), medio ſeculo XIII. viuentis, confici putant, qui, vt vnum ſciatis, iuquit, "Authenticum, quod fuit compoſitum a „Iuſtiniano, habet nouem Collationes. „Poſtea cum venit Imperator Federicus „Iunior, miſit has conſtitutiones (Iuſtinia„ni Nouellas) ad Ciuitatem iſtam (Bono„nienſem) Doctoribus legum, vt apta„rent eas ſingulis Legibus ſub congruenti„bus titulis: et ita fecerunt Doctores, dum „conuenerunt in S. Petro, cum iſtam „aptauerunt ad legem iſtam. Poſtea quid „fecerunt? Dom. HVGOLINVS poſt no„nam Collationem poſuit LIBRVM FEV„DALEM, et omnes Conſtitutiones Fede„rici antiqui et Iunioris, et aliquas leges „Conradi Imp. et vocatur DECIMA COL„LATIO. Sed pauci ſunt, qui habeant „ita ordinate in libris ſuis." Ex quibus conſtare putant, Friderici iuſſu compilatos eſſe, qui ſub *Decima Collatione* Corpori

(*h*) In *Comment. ad auth.* *Caſſa* C. de SS. Eccleſ. Vid. SCHILTERVM l. c. et HVLDERICVM AB EYBEN in *Electis iuris feud.* *cap. I. §. VI.* in oper. p. 521.

ri iuris annexi ſunt, libros feudorum: illud enim principi merito tribui, quod ex eius Auctoritate a Conſiliariis et miniſtris eius conſcribendum fuit. Atqui huic Odofredi teſtimonio tantum tribuendum eſſe putat ANTONIVS MONACHVS (*i*), quantum tribui poteſt ei, qui *de viſu et de his, quae ſuis temporibus geſta ſint, teſtatur*: ſiquidem Odofredum aeuo Friderici II. in Academia Bononienſi docuiſſe conſtat (*k*).

§. XV.

De teſtimonio Odofredi in contrariam ſententiam propoſito.

Breuibus, ſed temere, de Odofredi teſtimonio ſententiam dixit Carolus Moinaeus (*a*), *fictum commentum appellans, cui non ſit credendum.* Exactiori diſquiſitioni illud nuper ſubiecit Vir Ampliſſimus, quem honoris cauſa nomino, CHRI-

STIA-

(*i*) *De recta feudor. interpretatione cap. III.* §. 46.

(*k*) GVIDO PANCIROLLVS de *claris Legum interpretibus lib. II. cap.* 235. *p.* 125.

(*a*) Ad *Conſuet. Pariſ. tit. I. n.* 103.

STIANVS GOTTL. BVDERVS(*b*), illud in primis obuertens, *quod Imperante Friderico II. nullus reperiatur Hugolinus Iuris Conſultus, cui digerendarum auctoritate Imperiali Conſuetudinum feudalium poteſtatem tribuere potuerit:* ſiquidem nec IOANNES NICOLAVS PASCHALIS ALIDOSIVS, qui de *Bononienſibus Doctoribus* diligentiſſime commentatus eſt, talem producere potuerit. Sed quod pace Viri Eruditiſſimi dixerim, tempore Friderici II. Bononiae floruerunt duo Hugolini, alter HVGOLINVS DE VRSO Eques Bononienſis, alter HVGOLINVS DE PRESBYTERIS ſeu de PRAETIS, Publicus Iurium interpres in Archigymnaſio Bononienſi, nobis inprimis hoc loco memorandus. Vterque anno cIɔccxv. Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio PP. III. celebrato, nomine Ciuitatis Bononienſis interfuit (*c*). Qua laude floruerit

(*b*) In *Amoenitatibus iuris feud.* obſ. I. p. 3.

(*c*) Rem memorat Vetuſtiſſimum Kalendarium Archigym. Bononienſ. in notis ALEX. MACHIAVELLI ad SIGONII *hiſt. Bon. n.* 63.

rit Hugolinus ICtus, refert IACOBVS DE ARDIZONE, qui eum Virum ingenii acutiſſimi vocat, dignum, qui Sacerdos merito appelletur, ſeque poſt mortem AZONIS ab eo ius ciuile audiuiſſe, multaque vtilia ad quaeſtiones feudorum pertinentia argumenta ab eo collegiſſe ſcribit (d).

Idem

65. *tom.* III. *op.* p. 202. II. (Nouembr.) *Anniuerſarium celebrati Romae a.* 1215 *ſacri concilii Generalis XII. et Lateranenſis IV, ipſo praeſidente Pontifice Maximo Innocentio III. cognomento Magno, qui huius Lycaei Publicos Profeſſores in maxima Patrum oratorii et Doctorum frequentia, inter quos honoris gratia ex noſtris inuitauit, et acciuit* R. D. *Henricum de Fracta, Archidiaconum Eccleſiae Bononienſis,* et D. HVGOLINVM DE PRESBYTERIS, *famoſiſſimum huius Archigymnaſii Publicum Iuris Interpretem, qui ſententiam cum magna auctoritate et ita dixerunt, quod traxeruut ad ſecum contrahendam familiaritatem Mag. Dominicum Calaguritanum ibi praeſentem, poſtea Ordinis praedicatorum inſtitutorem, et demum inter ſanctos adſcriptum. Cum dictis duobus Doctoribus Magnif. D. Gulielmus Rangonus, Praetor Bononienſis ſuffectus, miſit Oratorem pro Ciuitate Bononienſi ad idem Concilium, Andalorum Andalo ex Comitibus Caſalichii et Hugolinum de Vrſo, Ciues nobiles et Equites Bononienſes.*

(d) IAC. DE ARDIZONE, Veronenſis ICtus ſeculi XIII. in *ſumma iuris feudor.* Colo-

niae

Idem ICtus Hugolinus in controuerſia inter Epiſcopum et Ciuitatem Bononienſem arbiter anno cIↃccxvII. electus legitur (*e*): tandem peſte ſublatus Bononiae Anno cIↃccxxvIII. Incidit itaque Hugolinus ICtus in tempora FRIDERICI Imp. II. quem iam anno cIↃccxII. (*f*) Regem Romanorum electum eſſe conſtat. Vt adeo ſi quae alia probandi vis ineſſet excitato Odofredi teſtimonio, illud aduerſus hoc dubium ſatis ſuperque defenderetur.

§. XVI.

Verior eius explicatio.

Odofredi teſtimonium curatius expendenti obuiam erit, eo id non euinci, quod viri docti probare cupiunt (*a*). Duo momenta

niae 1569. *cap.* I. *p.* 2. et in *Tract. Tractat. tom.* X. *P.* II. *p.* 225.

(*e*) Vid. CAR. SIGONII *hiſt. Bononienſ. lib.* IV. *ad a.* 1217. *tom.* III. *op. p.* 206.

(*f*) *Quod oſtendit* ALEXANDER MACHIAVELLI *in not.* 51. *ad Sigonium l. c. p.* 235.

(*a*) Idem iam monuit HVLDERICVS AB EYBEN *in Elect. iur. feud. cap.* I. *§.* 6. *in oper.*

Digitized by Google

menta exponit Odofredus, diſtinctius conſideranda. PRINCIPIO agit de Nouellis Iuſtiniani, in Nouem Collationes digeſtis, quas Bononiam miſerat Fridericus II. *vt Doctores legum eas ſingulis Legibus ſub congruentibus titulis aptarent.* Hactenus Principale praeceptum: quod et exſecuti ſunt ICti Bononienſes. POSTEA, inquit Odofredus, *quid fecerunt Doctores?* quaſi iam ea narraturus, quae praeter Praeceptum Imperiale egerant. *Dom. Hugolinus poſt nonam Collationem poſuit Librum feudalem et omnes Conſtitutiones Federici antiqui et Iunioris et aliquas leges Conradi Imp. et vocatur decima Collatio.* Quicquid hoc loco Hugolino de Presbyteris tribuitur, *ordinem* concernit, quo exemplis Corporis Iuris Iuſtinianei poſt nonam Collationem adiecit LIBRVM FEVDALEM, iam ſub Friderico I. conditum, et olim ab HVGOLINO DE PORTA RAVENNATE gloſſis

oper. p. 522. CASP. BITSCHIVS *in praef. Conſuet. feud. pag.* 9. CASP. HENR. HORNIVS *in iurispr. feud. cap.* I. §. 23.

gloſſis illuſtratum. Qua, quaeſo, probabili ratione ex verbis: *poſt Collationem nonam poſuit Librum feudalem:* colliges, Hugolinum librum compoſuiſſe? Adpoſuit idem Conſtitutiones Friderici I. et II. (*b*). An vero Hugolinum earundem auctorem affirmabis? Id vnicum Hugolino de Presbyteris debetur, *Librum feudorum* partem Corporis Iuris Iuſtinianei factum eſſe ſub *collationis decimae* appellatione. Quod cum proprio conſilio feciſſet Hugolinus: mox addit Odofredus: *Sed pauci ſunt, qui ita ordinate* (ſeruato eodem ordine) *habent in libris*

(*b*) Ex eo tamen dubium mouet IO. AVG. HELLFELDT in *elem. iur. feud.* c. III. §. 34. p. 30. ad aetatem Friderici II. ideo referendum videri *Librum feudorum*, quod Hugolinum poſt *nonam collationem poſuiſſe librum feudalem et omnes Conſtitutiones Friderici antiqui et Iunioris* enarret Odofredus, eaeque conſtitutiones in ipſis *libris feudorum digeſtae* occurrant. Sed vbi, quaeſo, in vetuſta hac collectione extant Conſtitutiones Friderici II? Complectitur tantum Friderici I. conſtitutiones: et in his deſinit. Amplior omnino eſt *collatio* X. ab Hugolino de Presbyteris adornata, quae praeter *librum feudalem* et alias continet Imperatorum conſtitutiones.

libris ſuis; vt videlicet *Feudorum Liber*, tamquam decima Collatio, poſt Authenticorum librum poſitus ſit (*c*).

§. XVII.

Alia argumenta diſſentientium.

Qui Librum feudorum ab Hugolino Friderici II. auctoritate confectum eſſe autumant, ſuppetias probationum adhuc repetunt ex teſtimoniis GOBELINI PERSONAE

(*c*) Mentem Odofredi accurate exprimit IOANNES BAPTISTA DE CACCIALVPIS A SANCTO SEVERINO, Iuris Conſultus ſeculi XV. *in repetitione ad cap. I. de feudi cognitione art. I. n. 4. in tract. tractat. tom. X. P. I. fol.* 10. *Poſtea dominus* VGOLINVS DE PRATIS, *gloſſator antiquus, poſt nonam Collat. authent. poſuit iſtum librum feudalium, compilatum per Obertum de Horto*, (de quo errore vid. §. III.) *et omnes conſtitutiones Federici antiqui et Iunioris Imperatoris, et aliquas leges Conradi Imperatoris, et appellatur decima collatio. Et pauci ſunt, qui ita habeant ordinationem in libris ſuis ſecundum Odoffre: quia Liber Feudorum, ex quo eſt decima collatio, auctent. debet eſſe poſt librum Auctenticorum. Deinde ſequi debent tres libri Codicis; licet communiter non ita habeantur.*

NAE (*a*), Decani Bileueldenſis et Paderbornenſis circa annum cIɔcccccxvIII. defuncti, THEODORICI ENGELHVSII (*b*), Presbyteri Eimbeccenſis, ſeculo XV. florentis, PANDVLPHI COLLENVTII (*c*), ſcriptoris ſeculi XV. nec non, qui ſeculo XVI. vixit, NICOLAI CISNERI (*d*). Qui teſtes cum longe

(*a*) GOBELINVS PERSONA in *Coſmodromio aetate VI. cap. 64.* apud MEIBOMIVM *tom. I. rer. Germ. p.* 280. *Item Fridericus II. fecit quendam librum de feudis.*

(*b*) THEOD. ENGELHVSIVS *in Chronica* apud LEIBNITIVM *ſcript. rer. Germ. tom. II. p.* 1115. de Friderico II. edifferens, *Ipſe,* inquit, *leges optimas pro libertate eccleſiae contra haereticos edidit et librum feudorum.*

(*c*) PANDVLPH. COLLENVTIVS in *hiſt. Neapolit. lib. IV. p.* 183. *Librum*, inquit, *de vſu feudorum, optimum et in ſcholis vſitatum conſcribi curauit.*

(*d*) NIC. CISNERVS Conſiliarius Palatinus et Profeſſor Heidelbergenſis in oratione *de Friderico Imp.* II. *a.* cIɔIɔLXII. in Academia Heidelbergenſi habita, quae in eius *opuſculis hiſtoricis et Politico-Philologicis*, a Quirino Reutero an. cIɔIɔcXI. Francofurti editis, extat *p.* 177. ibi: *Eodem* (Friderico II.) *duεtore receptos illos praeſertim in Longobardia beneficiorum, quae vulgo feuda vocant, mores*

longe remoti ſint ab aetate Friderici II.: fidem facere nequeunt in re, duobus inde ſeculis anteriori. Elegans quidem eſt coniectura Celeberrimi BVDERI, hos ſcriptores Codicem Legum Sicularum, cui feudalia ſunt admixta et quem Fridericus II. a ſe editum gloſſis explicandum curauit, intellexiſſe. Si quid tamen recte iudico, omnes iſti ſcriptores, *teſtimonio Odofredi male intellecto* decepti, ita rem expoſuiſſe videntur.

§. XVIII.

Receptio et auctoritas huius collectionis in Germania.

Quos expoſuimus Collectionis Conſuetudinum Longobardicarum natales, eam *hominis priuati* opus eſſe produnt in vſum Italorum ex conſuetudinibus curiarum feudalium Regni Longobardici et nonnullis Imperatorum conſtitutionibus compilatam,

res collectos et in ſcholis a Doctoribus explicari coepiſſe, Pandolphus Collenucius tradit.

tam, cui confirmatio publica et principalis auctoritas numquam acceſſit. Hugolini a Porta Rauennate, qui eam primus gloſſis illuſtrauit, exemplum ſecuti plures, Pylaeus, Vincentius, Columbinus, *gloſſis* ſuis idem pretium et vſum in Italiae foris conciliarunt (*a*), ex eo inprimis promotum, tum quod iam Fridericus I. libellum *Academiae Bononienſi* in vſus praelectionum commendauerit (§. XII.), tum quod ſub Friderico II. ſtudio Hugoliui de Presbyteris *pars corporis Iuris Ciuilis* fieri coeperit (§. XIV.). Iure Romano itaque ſeculo XIII. et ſequ. in Germaniae ſcholis et foris inualeſcente, mirum non eſt, quod et haec collectio, iuris feudalis Germanici adiuuandi et ſupplendi cauſa, in fora et *curias feudales Germaniae* tranſierit, et quoad rationes eius cum feudis Germaniae conſentiunt, *iuris feudalis communis* vim et auctoritatem pedetentim ac gradatim

(*a*) PANCIROLVS de *clar. Lec. interpret. lib.* II. *cap.* XXIX. *et* XXXI. ARTHAVRVS DVCKIVS de *auctorit. iur. Ciuil. lib.* I. *cap.* V. §. 14. *cap.* VI. §. 13.

tim conſequi coeperit, qua de re plura Viri docti SPENERVS (*b*), STRVVIVS (*c*), ERNESTVS IOACHIM DE WESTPHALEN (*d*), KOPPIVS (*e*) et BVRIVS (*f*) accurate et luculenter expoſuerunt. Certe haec collectio pro ea, quae tum in Germania fuit cauſarum clientelarium, quae *conſuetudine* et *moribus* regebantur, conditione experta eſt benigniora fata, cum vel *inſtruendis his*, qui curiis feudalibus intererant, inſeruiret, tum et *dominis directis* mirum in modum faueret. Profuit eidem opinio aeui, quod vel ob *conſtitutiones Imperatorum*, eidem inſertas, vel ob errorem, quo *Fridericorum auctoritate* compilata credebatur, pro *iure caeſareo* habita ſit, eaque appellatione paſſim publice donata (*g*).

§. XIX.

(*b*) In *Primit. hiſtor. feudal. obſeruat.* II. §. 3. *ſeq.*

(*c*) In *hiſtoria iur. cap.* VIII. §. 19. 20. *et ſq.*

(*d*) *De fatis et ſtudio iuris feudal. in Germania.*

(*e*) In *hiſtoria iur. P. III. p.* 105. *et ſeq.*

(*f*) *Erlaeuterung des Lehnrechts p.* 124.

(*g*) Exhibet IO. SCHILTERVS in *comment.* *ad*

§. XIX.

Quo tempore recepta ſit in Germania.

Tempus, quo in Germania ius Longobardicum receptum ſit, exacte definiri nequit; vt fere fieri ſolet in rebus non ſemel et ſimul ſed pedetentim, alluuionis ad inſtar, naſcentibus. Exiſtimauit PHILIPPVS BALTHASAR GERDESIVS (*a*), poſſe aetatem definiri ex priuilegio *Principis Rugiae* WITZLAI, ciuitati Sundenſi a. 1290. dato, cuius haec verba ſunt: *Nec ad aliquod ius Canonicum, ciuile, Vaſallagium, dictum Mann-Recht, quis extra ciuitatem Stralſund euocari debet.* Per Vaſallagi-

ad Ius feud. Alem. cap. XL. §. 4. *p.* 230. literas Ruperti Imp. *a.* 1409. datas liberis Rudolphi de Zeiſſenheim, ex concubina deinceps in vxorem ducta natis, in quibus derogat iuri Longobardico his verbis: *Sunderlich ſal In nit ſchaden das Geſetze und gewonheit in Keyſerlichen Lehenrechten begriffen in dem capitel, das anfahet Naturales in der rubricken, ob vm Lehen Zweitracht were, noch kein ander Geſetze in Keyſerlichen Lehenrechten oder anderswo begriffen.*

(*a*) In diſp. *de norma iudicandi controuerſias in Germania, ſpeciatim Pomerania cap. II. n.* 23.

lagium, tamquam verbum, idiomati *iuris Longobardici* proprium, ius feudale Longobardirum intelligi, eiusque publicum vſum in Pomerania iam tum obtinuiſſe arbitratur: quam ſententiam non minus Vir Generoſ. AVGVSTINVS DE BALTHASAR ſpeciali ſchediasmate tuitus eſt (*b*). In aliam ſententiam in hoc loco explicando abit ALBERTVS GE. SCHWARZ (*c*) et per vaſallagium *ius vaſallagicum conſuetudinario-ſtatutarium prouinciale* deſignari putat. Veriſimilior eſt explicatio ERNESTI IOACH. *de* WESTPHALEN (*d*), *ipſum iudicium feudale*, *Manngericht* indigitari exiſtimantis. Ita omnino accipitur in charta Bernhardi Ducis Saxoniae de a. 1440 (*e*).

Man-

(*b*) In diſquiſ. *de tempore, quo in Germania praeſertim in Pomerania receptum fuit ius feud. Longob.* §. 6.

(*c*) *Verſuch einer Pommerſch und Rugianiſchen Lehn-Hiſtorie cap.* I. *p.* 239.

(*d*) De *fatis et vſu ſtudii iur. feud. in Germ.* §. 27.

(*e*) In CHRIST. LVD. SCHEIDTII tr. *vom Hohen und Niederadel* in mantiſſa docum. N. XVIII. not. (*) p. 288.

Manrecht to holdende unde to richtende. Scilicet hoc ſenſu arbitror *priuilegium de non euocando*, ciuitati Sundenſi datum, eo productum eſſe, vt ciues nec ad *eccleſiaſtica*, nec ad *ciuilia*, nec ad *feudalia iudicia* extra vrbem euocarentur. Simile priuilegium Norimbergenſibus iam a. 1219. dederat FRIDERICVS II. Imp. (*f*), vt *nullus Dominus aliquem Nurembergenſem compellere debeat ad ius, quod adpellatur Lehen-Recht:* quibus verbis non *collectio* quaedam *iuris feudalis*, vt viſum eſt multis, ſed *curia feudalis*, in qua ius redditur, deſignatur; ſcilicet ne ciues ad forum feudale domini extranei extra ciuitatem euocarentur. Certiora iuris Longobardici recepti veſtigia *ſeculo XIV.* adparent in monumentis Feudalibus. Egregium eius rei exemplum exhibetur in *ſententia arbitrali* HENRICI, Domini de Mecklenburg, inter *Ioannem* et *Ericum*, Duces Saxo-Lau-

(*f*) Quod exhibet CAROL. LVD. TOLNERVS in *hiſtoriae Palatinae Cod. diplomat. n.* 80. *p.* 68.

Lauenburgicos, de hereditate fratris Alberti litigantes, Duzawiae a. 1321. lata. "Vmme de Zweyunge, de de is twiſſchen „Hertog *Iohann* van Saſſen und Hertog „*Ericke* ſinem Brodere de vp vns *Hinrick*, „Heren tho Mecklenborch gelaten is van „baiden ſiden, tho entſchedende an Minne „oder an Recht: wente wy der Minne „nicht finden en können, ſo ſpreke wy „na erer baider Rede, das recht is, *na be-* „*ſchrevenen Keyſer Rechte* vnd nen rechtern „weten noch befragen können. 1) Nach- „deme dat in Lene Hertogtums vnd Marg- „greveſchop, de vam Ricke tho Lehne „gahn, dat Kind an ſines Vadern Lehne „nene Volgen hefft, id ne beholde dat „Lehen vam Ricke binner rechter Tidt; „und Hertog Iohann ſprecket, dat he dat „Lehen entfangen hebbe, alſe he tho „rechte ſcholde, vnd Hertog Erick alſe- „dannes Lehens daranne nicht en bero- „met: mag Hertog Iohann des Vollkomen „als recht is, dat he dat Lehen, dar ſe „vmme tweyenn, entfangen hebbe van

dem

„dem Ricke na ſines Vadern Dode, alſe „he tho rechte ſcholde; Hertog Erick „ſchall id eme tho Rechte volgen laten, „vnd wedderlegen eme al dat, dat he dar „vt genomen hefft na der Tidt, dat id re„delichen angeſpraken is. 2) Vmme dat „Hertog Erick ſpreke, dat dat Gut, dar „ſe vmme tweyen, ſin rechte Andeil ſy „van Hertogen Albrechts wegen, ſines „Broders, vnd dat Gut mit eme ſamen„der Hand beholde, vnd erer twyer Deel „ne ſcheden worde, dar beſpreken wy al„ſus tho *na beſchrevenen Kayſer Rechte*, dat „in vaderlichen Lehen, dar Brodere Vol„gunge anne hebben, ein jewelch Bro„der Volgunge behold in ſines Broders „Lehne, de vorſterfft ane Sone, vnd „dar ne mag dat nicht an ſchelen, offte „de verſtorbene Broder by ſinem Leven„de ock mit Volborde ſines Lehen herrn „de Volgunge des Lehns ſines Broders „entwehren wolde in welker Wiſe id we„re. 3) Vmme de Wehre, de Hertog „Erick ſpreck an dem Gute, dat he das

„in

„in ſinen Wehren hebbe gehatt thein Iar „lanck ane rechte Wedderſprake, dar ſpre- „ke wy alſus tho, *na beſchrevenen Kayſer „Rechte:* welch Man in Lehen Gude de „Wehre hefft ſunder Lehen drittich Iar „ane rechte Wedderſprake, vnd binnes „des ſinem Lehen Herrn plichtige Denſte „darvon deyt, te Lenge vnd de Vorjah- „runge der drittich Iar gifft eme Recht „dat Gud tho beholdende vor ein recht „Lehn wedder allerlei Anſpracke. 3) Hir- „umme went Hertog Erick ſine wehre „nicht en tiit vp drittich Iar, ſo ſe eme „nicht behelplich. 4) Vmme de Schul- „de, de Hertog Erick gifft Greve Gherd- „te, dat he ſin Land rovet vnd brandt „vnd vermingelt hebbe, vnd eme Schlo- „te afgewonnen hebbe, vmme dat Söne, „de he ehme gelovet hadde vnd eme nicht „entſegede, als he ſine vnverſegede Man „is; vnd na Greven Gerdes Antworde „ſpreke wy ock, dat recht is, vnd nen „rechtern weten noch befragen ne kön- „nnn: Mag Greve Gerd dat volkamen

„mit

„mit den Sohne Breven vnd mit den, de „de Söne degedingeden, dat he de Söne „will geholden hebben ſine tydt al vth, al„ſe he tho Rechte ſcholde; he blifft des „ane Schuld. Bekand he es averſt, dat „he de Söne gebraken hebbe, he ſchall „id wedder don vnd gelden mit Bote al„len Schaden, den he gedan hefft. Wol„de me den Schaden grot rechnen, he „mag ene minnern vppen Hilligenn. „Mag ock Greve Gerd des volkamen, al„ſe recht is, dat he Hertoge Ericke ent„ſegget hebbe, alſe he tho rechte ſchol„de, he blifft des ane Schuld. Bekand he „es averſt, dat he me nicht entſegget „hebbe, he ſchall wedder don vnd gel„den mit Buſſ allen Schaden, alſe hir vor„beſchreven is. To Betuginge deſſer Rech„tes henge wy vnſe Ingeſegele tho deſſem „Breve. Dit Recht hebbe wy geſproken „tho Düzow in Sanct Nicolai Auende, „vndt dat is beſchreven in Sanct Gilgen „Dage na Gades Bord duſent Iar drey „hundert Iar, in dem ein vnd twintegſten

„Iar

„Iar in der Stadt tho Sodeniz." Sub appellatione der *geſchriebenen Rechte* ius Feudale Longobardicum intelligi, tanto minus dubitari poteſt, quanto magis conſtat, illud ex eius aeui opinione pro *iure caeſareo* habitum et ita adpellatum eſſe; Accedit, quod ipſa placita feudalia, ex eo repetita, proponantur II. F. 24. pr. II. F. 11. et II F. 26. §. 4. Seculo XV. vſum iuris Longobardici illuſtrauit IO SCHILTERVS (g), propoſitis literis legitimationis RVPERTI Imp. Gerlaco Grans a. 1408. datis: quibus cum Imperator *iuri Longobardico* in ſpecie ſibi propoſita derogatum eſſe voluit, vim eius et auctoritatem agnouiſſe cenſetur. Nec illud hoc loco praetermittimus, ſeculo XVI. comparuiſſe ius Longobardicum priuato ſtudio in vſus iudiciorum Feudalium *in vernaculam* translatum, editumque Moguntiae a. 1530. ſub

(g) In *Comm. ad ius. Feud. Alem.* c. 40. §. 4. p. 230. conf. LVNIGII *corpus iur. feud. t. II. p.* 1281. Similes chartarum Caroli IV. formulas exhibet IO. WILH. HOFFMANNVS in *Collectione inedit. document. p.* 9. *et* 31.

ſub titulo: *Die Lehenrecht verteutſcht, auch in eyn neue vnd richtige Ordnung der titul geſatzt und zuſammen bracht, mit Erklärung und Auslegung einiger etlicher Lateiniſcher und welſcher Wort, welch nit ſuglich ins Teutſch haben veraendert mögen werden.* Propoſitum ſibi habuit editor exemplum et conſilium *Antonii Mincuccii de Prato vetere, et Bartholomaei Baraterii:* quorum inſtitutum in ordine iuris Longobardici emendando in praefatione laudat, quamquam priorem Andream de Prato vetere perperam nominet. Itaque eodem conſilio capitula ordinaria iuris Longobardici in nouum ordinem digeſta, octo libris complexus eſt. In calce libri haec notantur: *gedruckt zu Meyntz durch Iohannem Schöffer im Iar nach der Menſchwerdung Chriſti unſers Herrn M. DXXX. den XXVIIII. Tag des Mertzen.* (*h*).

(*h*) Conuenit haec verſio in plerisque cum illa, quam *Corpori iuris feudalis* inſeruit LVNIGIVS *tom. I. p.* 211. editamque eſſe ſcribit *Wormatiae a.* 1536.

OB-

OBSERVATIO II.

DE FEVDIS

ex veterum Francorum beneficiis enatis.

ARGVMENTVM.

I. *Difficultates in argumento de origine feudorum.*
II. *Beneficia inter Francos et Germanos.*
III. *Vaſalli.*
IV. *Miniſteriales iidem ac vaſalli.*
V. *Beneficiorum ſpecies.*
VI. *Eorum a Feudis discrimen.*
VII. *Eorum immutatio in feuda.*
VIII. *Contigit in beneficiis militaribus.*
IX. *In miniſteriis diutius ſeruata eſt beneficiorum indoles.*
X. *Horum conuerſio in feuda.*

§. I.

De origine Feudorum in genere.

Feudalia inſtituta inualuerunt eo aeuo, cuius ſcriptores de interna gentium ciuitatumque Germanicarum conſtitutione vel parum vel nihil referunt. Quod ſilentium cauſa et mater eſt tum difficultatis

in feudorum origine certiori eruenda, tum diuerſarum de ea opinionum (*a*). Natales eorum ducimus a *Francorum Germanorumque beneficiis*, quorum anterior mentio non occurrit, quam poſt ſuſceptas eorum in Romanorum prouincias migrationes. Non tamen aſſentimur illis, qui eadem omnino eſſe iſta *beneficia* exiſtimant, quae noſtra aetas *feuda* appellat. Quae quamquam *rationem feudorum*, inde enatorum, in ſe contineant; illis tamen plus iuſto ab his tribui iam animaduertit LVD. ANT. MVRATORIVS (*b*), qui feudorum indolem, qualem habet medium aeuum, apud Francos aliasque originis Germanicae gentes reperiri arbitrantur. Itaque ad illuſtrandam feudorum originem pertinere videbatur, expoſita prius *beneficiorum* apud veteres indole, *diſcrimina* eorundem *a feudis*, et quo inprimis tempore haec ex eisdem enata ſint, exponere.

§. II.

(*a*) Erudite easdem excuſſit GE. CHRIST. GEBAVREVS de *originibus feudi qua vocem, qua rem, non externis ſed Germanicis*, c. II.

(*b*) In *Antiquit. Italic.* tom. I. diſſ. XI. p. 549.

§. II.

Beneficia Veterum Germanorum.

Beneficii apud Germanos et Francos duplex eſt ſignificatus. *Generatim* acceptum (*a*), eſt *ius vtendi fruendi praedio, ad determinatum tempus conceſſum.* Quo ſenſu *iure beneficiario et vſufructuario* poſſidere, eadem ſunt veteribus (*b*): nec non pre-

(*a*) Voce, *e Latio* repetita, deſignatum eſt inſtitutum Germanorum, quamquam a Romanorum beneficiis admodum diuerſum. De *Romanorum beneficiis* commentatus ſum in praefat. ad B. *Parentis* tom. III. *exercit. ad pandectas.*

(*b*) *Precariae* conceſſio Epiſcopi Viennenſis Theutberto Comiti ſuper villa apud LVC. D' ACHERI *in ſpicil. eccleſ. tom. III.* p. 363. hoc modo facta eſt, *vt quamdiu ipſe comes et vxor eius carne vixerint, eandem villam lege beneficiaria vſuque fructuario teneant.* Benedictus, Metenſis eccleſiae Epiſcopus, in charta a. 926. Rothildi, feminae illuſtri, bona ab iſta oblata, ſe rurſus *beneficiare* profitetur, *vt quamdiu ipſa Rothildis et filii eius vixerint, easdem res omnes per beneficium noſtrum ſeu ſucceſſorum noſtrorum ſub vſu fructuario per precariam valeant habere*, ſub poteſtate *magis emeliorandi et augmentandi.* Char-

precariae vocantur beneficia: de iisque accipienda ſunt, quae in *Legibus Alemannorum* tit. II. leg. 1. et *Legibus Baiuuariorum* tit. I. cap. I. referuntur beneficia. In *ſtrictiori* ſignificatu *beneficium* eſt *ius vtendi fruendi praedio pro officio conceſſum* (c). Eſt videlicet ſpecies vſusfructus iuris Germanici, qui praeter ius omnem vtilitatem ex re percipiendi, ius ſubſtantiam fundi ea ratione, qua melior reddatur, immutandi complectitur (d), dominio vtili proxime accedens. Regibus Francorum in nummorum raritate non defuerunt bona publica; ex quibus quicquid *intuitu officii* vtendum fruendum dabant, beneficium dicebatur: quae notio hodienum in *beneficiis eccleſiaſticis*, intuitu muneris eccleſiaſtici

Chartam exhibet CALMET in *hiſtoria Lotharingica* tom. I. in codice probat. p. 337.

(c) Hunc beneficiorum ſignificatum illuſtrat MVRATORIVS l. c. tom. I. p. 554.

(d) Capitul. II. CAROLI M. a. 813. c. 4. apud BALVZIVM tom. I. p. 507. *Vt hi, qui beneficium noſtrum habent, bene illud immeliorare in omni re ſtudeant.* conf. charta not. b. excitata.

ſtici collatis, perdurat. Itaque beneficia rationem *officiorum* habebant. Quocunque modo officium, eodem et beneficium finiebatur; eoque quis tamdiu fruebatur, quamdiu defungebatur officio. Quem beneficiorum officiorumque nexum innuunt, quae ſaepius apud veteres coniuncta leguntur, *honoris*, ſeu officii honorifici, et *beneficii* verba, promiſcue vſurpata ita, vt quamquam *honorum* voce plerumque deſignatae ſint dignitates et officia, intuitu quorum beneficia data, honorum nomine tamen ſubinde et beneficia venerint (*e*).

§. III.

Vaſalli apud Francos.

Quos Germanos et Franci in *obeundis officiis* adhibuerunt miniſtros, *Vaſſos* ſeu *Vaſallos* adpellarunt, nomine deducto a voce Gothica *Was*, *Gwas*, famulum ſigni-

(*e*) CAROL. DV FRESNE in *gloſſ. tom. III*, p. 1183.

gnificante (a). Sola ad *munus obeundum* ſuſcepta *obligatio* vaſſum efficiebat (b): et officium Vaſſi *Vaſſaticum* dicebatur. Vnde vt quis vaſallus conſtitueretur, non opus erat *beneficii conceſſione;* quamquam Vaſallis vtplurimum beneficia data ſint. Carolus M. (c) mentionem facit Vaſallorum *dominicorum*, *qui adhuc intra caſam*, ſeu aulam, *ſeruiunt*, *et tamen beneficia habere noſcuntur.* Fuere ergo et alii adhuc, qui beneficia nondum conſecuti erant. Eorum exemplum eſt apud *Monachum Sangallenſem* (d), vbi de quodam epiſcopo refert: *Hic*

(a) BOXHORNIVS in *gloſſar. Anglo Britann.* p. 36. GEORG. HICKESIVS in *Grammat. Franco theodiſca tom. I.* p. 99.

(b) Auctor anonymus vitae Ludouici Pii apud CHESNEVM tom. II. p. 287. plures miniſtros regios conſtitutos eſſe referens, *ordinauit*, inquit, *per totam Aquitaniam comites abbatesque nec non alios plurimos, quos Vaſſos vulgo vocant, ex gente Francorum, et illis commiſit* CVRAM REGNI.

(c) In *Capit. II. a.* 812. c. 7. apud *Baluz. t.* I. p. 495.

(d) *De geſtis Caroli M. Lib.* I. c. 32.

Hic habuit vnum vaſallum non ignobilem ciuium ſuorum, valde ſtrenuum et induſtrium: cui tamen ille ne dicam beneficium ſed ne vllum quidem aliquando blandum ſermonem impendit. Fuit ergo ſine beneficio vaſallus. Fidem de officio bene gerendo iureiurando muniebat vaſallus, non propter beneficium, ſed propter officium; eamque in rem verbis vtor MVRATORII (*e*): *nullo adhuc certo teſte didici, tunc ob beneficia collata, vaſſos ſeniori fidelitatem iuraſſe: cum contra certum ſit, ob Vaſſaticum, ſeu famulatum ſeniori praeſtitum fuiſſe eiusdem fidelitatis ſacramentum.*

§. IV.

Miniſteriales apud Francos iidem ac Vaſalli.

Officia vaſallorum ſubinde *miniſteria* (*a*), et ipſi vaſalli ſub Francorum imperio *miniſte-*

(*e*) In *antiq. Ital. tom.* I. p. 552.

(*a*) *Capitul.* CAROLI M. *a.* 811. *et a.* 812. c. 4. tom. I. p. 486. et 491. Iam in *capitulari Pipini Regis* c. 793. c. 36. p. 541. recenſen-

niſteriales dicuntur (*b*). Vtriusque adpellationis promiſcuus eſt vſus, et non modo *Regum vaſalli*, ſiue militaria ſiue palatina obirent officia, miniſteriales adpellantur (*c*), ſed et *procerum* vaſalli (*d*). Miniſterialium beneficia referuntur, aeque ac vaſallorum; et miniſteriales praedia *iure beneficiario* poſſidere (*e*) ac non minus ac

cenſentur, *qui beneficia et miniſteria tenent vel in vaſſatico honorati ſunt.*

(*b*) Capitul. CAROLI M. a. 802. c. 40. apud BALVZ. tom. I. p. 374. et capit. a. 811. p. 486.

(*c*) Hi et *miniſteriales reipublicae* et *miniſteriales Palatini*, et *Regi in palatio deſeruire* dicuntur. vid. capitulare *de Miniſterialibus palatinis* tom. I. p. 340. et *Capit.* a. 802. p. 333. 338. Miniſtrorum regni, reipublicae adminiſtrorum, miniſterialium regiorum nomina iſtis non minus data eſſe, docet CAR. DV FRESNE in *gloſſ.* tom. IV. p. 775.

(*d*) Vid. *Kopp. de inſigni diff. Comit. et Nob.* Sect. I. §. 9. p. 42.

(*e*) In charta CAROLI Calui a. 855. apud LVC. D'ACHERI in *ſpicil. eccleſ.* tom. III. p. 350. mentio occurrit villae, quam miniſterialis *beneficiario iure* obtinet,

ac vaſalli *honorem ac beneficium* amittere dicuntur (*f*).

§. V.

Beneficiorum Species.

Nobilibus aeque ac *ingenuis* inter Francos non ſecus ac hodie ſolenne fuit, ambire principum regumque officia, tum ea, quae in *dirigenda militia*, tum quae in *aulae regiae* ſplendore exornando, tum quae in variis *reipublicae partibus* ſubeundis verſantur. Quo illuſtrius fuerat militiae, aulae, et reipublicae munus, eo minus ſublimiori loco nati eadem obire dubitarunt. Et ne *apud proceres et Nobiles* quidem munera ſuſcipere, a generis ingenuitate alienum fuit; iſtis vero glorioſum, magno vaſallorum globo circumdari. Vaſalli alii *militari* officio, alii in aula *palatino*, alii in

(*f*) Vid. *Capitular.* lib. IV. c. 30. *Si homo liber vel Miniſterialis comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, ſiue beneficium amittat.* In Capitulari LVDOVICI II. Imp. *Comitum miniſtri* et proprium et *miniſterium* perdere dicuntur.

in adminiſtrandis regendisque diſtrictibus et prouinciis *officio praefectoriali*, alii aliis ad militiam et ſplendorem domeſticum Procerum pertinentibus muniis defungebantur (*a*). Quot veſallorum, tot beneficiorum quoque genera occurrunt, tam pro *officiorum*, pro quibus praeſtabantur, quam pro *Dominorum* ratione, ex quorum largitate proueniebant, diuerſa. Vnde habes beneficia *militaria*, *palatina*, *praefectorialia*, tam *immediata*, quae et regalia et principis beneficia dicuntur, quam *mediata*.

§. VI.

Beneficiorum et Feudorum diſcrimen.

Quae expoſuimus, eo pertinent, vt appareat, *Veterum beneficia* non facile accipienda eſſe pro iisdem ex omni parte *feudis*, quae poſterior aetas poſt annum milleſimum vſurpauit; quamquam horum natales contineant, et haec ſeculis poſterio-

(*a*) Ampliſſimum *officiorum*, et qui ab eorum functione ſpecialia nomina duxerunt, vaſallorum recenſum dedit CAR. FRIDER. BVRI in *Erläuterung des Lehnrechts* p. 241. vsque ad p. 363.

rioribus adhuc beneficiorum nomine deſignata ſint. Vtriusque diſcrimina in aprico poſita ſunt. I) In *beneficio* praedium conceditur *pro determinato officio* vtendum fruendumque, vt veluti ſit remuneratio fidei in officio praeſtandae; *feudum* non ſtipendii ad inſtar datur pro officio, ſed ſub lege et conditione praeſtandae fidelitatis. II) *Officii et honoris conceſſio* vaſallum efficiebat apud Francos, non beneficium: cum contra ſola feudi conceſſio faciat vaſallum, nec vlla in eo collati officii ratio interueniat. III) Vaſallus inter Francos non intuitu rei beneficiariae, ſed, *propter ſuſceptum officium* ad fidem obſtringitur: vaſallus feudatarius officii expers, *ex lege feudi* et *intuitu* rei *feudalis* ad fidelitatem obligatur. IV) Obligatio ad fidem in officio et beneficio praeſtandam *perſonalis*, in feudo *realis* eſt, eaque intuitu *rei* ſeu *praedii feudalis* ſuſcepta. V) Iuramentum fidelitatis in beneficiis *propter officium* bene gerendum exigitur, quod in feudo intuitu bonorum feudalium praeſtatur.

tur. Vt adeo appareat, vtriusque fere eadem eſſe diſcrimina ac hodienum *feudorum* et *beneficiorum eccleſiaſticorum.*

§. VII.

Eorum immutatio in feuda.

Si quid recte coniicimus, beneficia veram *feudorum* naturam non prius adoptaſſe videntur, quam ex quo ſenſim facta ſunt *hereditaria.* Dudum quidem CAROLVS CRASSVS a. 877. conſtituit (*a*), vt vaſſorum vaſallorumque filii ex ipſius conceſſione beneficiis parentum honorarentur: vtique *Fideles ſui* idem aduerſus homines ſuos ſeruarent. Sed nondum inde hereditaria facta ſunt beneficia, cum non ſucceſſionis iure, ſed *vi nouae conceſſionis* ad filios tranſirent. Vehementer tamen id profuit filiis militum bene meritorum; indeque abiit in mores, ne filiis beneficia parentum adimerentur: firmatumque eſt conſtitutione CONRADI SALICI de a. 1037. qua

(*a*) In *Capitular, apud Cariſiacum c.* 9. apud BALVZIVM *tom. II.* p. 263. et praeſertim in *addit. c.* 3. p. 269.

qua filiis et nepotibus *ius ſuccedendi* dedit in *beneficiis militum maiorum et minorum.* Inde videlicet eueniſſe cenſemus, vt beneficia iure hereditario in ſucceſſores translata, in hos non niſi ſub *lege agendae militiae* tranſirent, vtique illud, quod olim debebatur *iure officii,* iam *ex ipſa conceſſionis lege* praeſtaretur, indeque beneficia *rationem officiorum ſtipendiorumque propter officium* habere deſierint, et fidelitas ipſa, olim *vi officii* praeſtanda, iam cum *ipſis bonis beneficiariis* connexa, *horum intuitu* praeſtari coeperit: in quibus omnibus vera feudorum ratio continetur.

§. VIII.

Mutatio primum in militaribus et praefectorialibus beneficiis facta.

Haec mutatio non in omnibus beneficiis eodem tempore contigit. Contigit in his, in quibus *ſucceſſio hereditaria* inualuit: haec vero tantum introducta eſt in beneficiis *militaribus* nec non *praefectorialibus*, pro officio in regenda et tuenda regione

con-

conceſſis: quorum vtrumque cum ſpeciali ad militiam agendam dirigendamque obligatione coniunctum fuerat. Ipſa ſcilicet conſtitutio CONRADI SALICI, quae hereditariam in feudis ſucceſſionem munit (*a*), de beneficiis *militum maiorum et minorum* agit: et WIPPO (*b*), id Conradi Salici inſtitutum recenſens, imperatorem *militum animos* ſibi in hoc *multum attraxiſſe* ſcribit, quod paterna beneficia nemini poſterorum adimi paſſus ſit. In beneficiis ergo, *propter militare officium* olim datis, vna cum *hereditaria ſucceſſione* haec mutatio inualuit, vt iam *intuitu bonorum beneficiariorum*, ſucceſſionis iure deuolutorum, praeſtaretur in militia agenda fidelitas; et bona *hac lege* data, ſpeciali feudorum nomine diſtinguerentur; nec *feudum rectum* cenſeretur, niſi ſub lege militiae datum.

§. IX.

(*a*) In lib. V. feud. conſt. I. *praecipimus, ſi aliquis miles, ſiue de maioribus ſiue de minoribus de hoc ſeculo migrauerit, filios eius beneficium tenere.*

(*b*) In *vita Conradi Salici* p. 480.

§. IX.

In beneficiis miniſterialium ſeruata priſtina beneficiorum ratio.

In *ceteris beneficiis*, quae ob officia non militaria, in aula, in *iudicio* aliisque adminiſtrationis partibus obeunda, concedebantur, diutius ſeruata eſt beneficiorum priſtina indoles. Obſeruandum inprimis eſt, eodem aeuo celebrata eſſe *officia honorifica*, ex ſpeciali reuerentiae nexu in variis honoris functionibus in aula, in comitatu, in armorum cuſtodia et id genus aliis praeſtanda: idque maxime inualuiſſe, vt nobiles et ingenui ad officia honorifica Principi vel *proceribus* exhibenda ſe ſuosque in perpetuum obnoxios redderent, indeque dicerentur *miniſteriales*. Multis ex his data ſunt beneficia, ſtipendii ad inſtar, maxime pro *officio ſpeciali*, veluti aulico, Dominis ſuis exhibendo: eademque illorum morte, perinde vt ipſum officium, finita ſunt. Veriſſimum tum quidem erat, non beneficii conceſſionem efficere miniſterialem, verum ſuſceptam

pro

pro ſe ſuisque ad miniſterium honorificum praeſtandum obligationem. Itaque eodem aeuo, quo feuda nata ſunt ex beneficiis, et ſeculis inſequentibus frequenter occurrunt *beneficia miniſterialium*, diſtincta rurſus *a feudis:* et *duplex* in vſum deducta eſt *bonorum conceſſio*, altera *beneficiaria*, altera *feudalis:* vtraque non rectius diſtinguenda, quam inſpecta duplici ratione, qua bona vtenda fruendaque largiri ſolenne fuit. *Alia* enim ratio eſt concedendi bona *ſub lege* ſpecialis *fidelitatis*: ſiquidem tum obligatio, hanc praeſtandi, bonis annexa ac proinde realis eſt: et *alia* ratio eſt dandi bona *in ſtipendium pro certo officio:* cuiusmodi bona, propter officium in vſum fructumque data, beneficii nomine proprie veniunt: in quibus obligatio *officio annexa* manet, et perſonalis eſt, beneficio tantum remunerata. Fuit olim idem diſcrimen conceſſionis bonorum *feudalis* et *beneficiariae*, cum *illa* fieret ſub lege agendae militiae, efficeretque vt ſucceſſores omnes, ad quos bona perueniebant, ea-

dem

dem lege obſtringerentur; *haec* vero daretur in remunerationem miniſterii ſpecialis Domino praeſtandi; vt adeo miniſteriales non intuitu beneficii ſed propter miniſterium ad fidem, quam officium exigit, obſtringerentur. Sed iuuat omnino in rem praeſentem ire, et vtramque conceſſionem in ipſis rerum argumentis propoſitam contemplari. Vetus auctor de beneficiis diſtinguit bona, quae *iure officiali* ſeu ſecundum ius curiae, et quae iure beneficiali ſeu feudali poſſidentur (*a*). *Quidquid homo non ſuſcipit per hominium, non iudicetur eſſe beneficium: ſicut cum bona concedit dominus ſuis miniſterialibus non per hominium ſed ſecundum ius curiae. Haec conceſſio caret beneficiali iure, ſed eſt conceſſio officialis.* Eadem egregie illuſtrant Literae Wedekindi abbatis Corbeienſis de a. cIↄcLXXXXVII (*b*). In quibus ait, *ſe conſilio*

(*a*) *Vet. Auctor* de benef. c. I. §. 149.

(*b*) In GOTTL. SAM. TREVERI *Geſchlechts-Hiſtorie des Hochadlichen Hauſes der Herrn von Munchhauſen in append.* p. 6.

ſilio miniſterialium et confratrum Eccleſiae Corbeienſis Alberto, dicto militi de Lippia et vxori eius Gertrudi curiam ſuam in Munichuſen IVRE OFFICII, *quod vulgo* Ambetrecht *dicitur, porrexiſſe, vacans obitu Gotſchalci. Albertus curabit, vt vxor ſua miniſterialis Eccleſiae corbeienſis efficiatur; alioquin officio priuabitur. Si Albertus de Lippia ſine heredibus forte moriatur, eius Officium vni de filiis ſororis eius et fratris ipſius, quem amici ad id decreuerunt, porrigetur ab Abbate ea tamen conditione, vt ad eiusmodi officium praeſentatus efficiatur miniſterialis eccleſiae Corbeienſis ſeu per concambium ſeu alio modo: alias officio carebit. Syluam ad curiam pertinentem habebit tam Albertus de Lippia, quam ſecutores eius* IVRE PHEVDALI, *curiam vero ipſam* IVRE OFFICIALI.

§. X.

Beneficia miniſterialium tandem mutata in feuda.

Verum enim vero eodem fere modo, quo beneficia Francorum militaria in feuda

da conuerſa ſunt, *beneficia miniſterialia* eandem mutationem ſubierunt, poſtquam in illis *ſucceſſio hereditaria* ſenſim atque pedetentim introducta eſt. Haec quidem non eodem tempore in iisdem inualuit, tentata ſaepius, et a dominis contradicta. In lite inter Miniſteriales eccleſiae Hildewardeshuſenſis de ea iam a. 1156. mota mediam ſententiam dixit FRIDERICVS I. (a) *Antiqua beneficia, quae iuſtitia et conſuetudo eccleſiae indulſit vel ius parentum per ſucceſſionem eis contradidit vsque ad prima tempora Lotharii Imp., praedicti miniſteriales quiete obtineant, eo conditionis pacto, et noſtrae conſtitutionis decreto, vt ſi absque legitimis liberis obierint, eorum beneficia ad praebendas ſanctimonialium et Praepoſiti omni contradictione et ambiguitate remota redeant. Ea autem beneficia, quae poſt ingreſſum Lotharii Imp. quoquo modo adepti ſunt, nos eis dictante iuſtitia prorſus abiudicamus et noſtra auctoritate interdicimus; niſi forte ex* gratia

(a) In *tomo III. Originum Guelficarum p.* 464.

gratia et conceſſione praepoſiti atque communi conſenſu eccleſiae ea poſſint obtinere. Firmata tandem miniſterialium in beneficiis *ſucceſſione*, haec in *feuda* tranſierunt, et miniſteriales officia, olim ex obligatione perſonali praeſtita iam vi *bonorum acquiſitorum* praeſtare coeperunt. Miniſteriales id ſaepenumero ex ſpeciali Domini indulgentia impetrarunt, vt praedia, nexu miniſterialitatis poſſeſſa, ipſis concederentur in feuda. Eius rei exemplum eſt in transactione, inter *Henricum*, Ducem Saxoniae et comitem Palatinum Rheni, cum *Epiſcopo Bremenſi* a. 1219. inita, in qua donatio praediorum, vna cum *miniſterialibus* facta eſt in hunc modum (*b*). *Miniſteriales ipſius Palatini, iuſſu eius, iurauerunt, et fidelitatem fecerunt eccleſiae Bremenſi, et bona quae hactenus a Palatino tenuerunt iure miniſterialitatis, in iure feudali ab eo receperunt.* Inde vero ſenſim exſpirauit diſcrimen inter beneficia miniſteriali-um

(*b*) Apud CAR. LVD. TOLLNERVM in *Cod. Prob. Hiſtor. Palat.* N. 76. p. 67. et in *Originib. Guelficis tom. III. n.* 177. *p.* 663.

um et inter feuda; et illa iam *feudorum nomine* deſignari coeperunt. Cum *Sifridus* comes de Oſterburg *Ottoni* Duci Brunsuicenſi bona ſua per Dominium Luneburgenſe vna *cum miniſterialibus* donaſſet: mandatum ad dictos miniſteriales dedit a. 1236, vt Ottoni duci pareant, *feudaque* ab ipſo ſuſcipiant (c). *Cum de conſenſu et voluntate heredum meorum, omne ius, quod in vobis habui, Domino meo illuſtri Ottoni Duci de Brunswic dederim et in perpetuum dimiſerim: fidelitatis illius, qua mihi et heredibus meis tenebamini, vos dimiſi penitus abſolutos, mandans et rogans, vt ei et heredibus ſuis eiusdem fidelitatis homagium faciatis, et vos et omnes, qui in praedictis terminis habitantes a me impheodati ſunt aliquibus bonis ab ipſo duce eadem bona iure recipiant et teneant pheodali.* Ceterum ex hac beneficiorum miniſterialium in feuda conuerſione originem ducunt tot *feudorum ſpecies*, a quibus *ſeruitia non militaria* debentur, feuda *palatina, ambachtae* et id genus alia.

(c) In *tomo IV. Originum Guelficar. n.* 54. p. 147.

 OB-

OBSERVATIO III.

DE NATALIBVS FIDEI VASALLITICAE.

ARGVMENTVM.

I. *Fideles apud Francos et fidelitas.*
II. *Fidelitas realis et perſonalis.*
III. *Fidelitas ex parte domini et vaſalli.*
IV. *Comitum ac Solduriorum et Clientum perſonalis fidelitas.*
V. *Vaſſorum et vaſallorum apud Francos perſonalis obligatio.*
VI. *Origo fidelitatis vaſalliticae, a ſucceſſione in beneficiis militaribus deſcendens.*

§. I.

Fideles apud Francos, et fidelitas.

Latiſſime patet *fidelium* nomen apud Francos et Germanos. Primo *liberi homines* omnes fideles dicuntur, *tum* illi inprimis, qui in obeundo *officio miniſterioque* publico fidem obſtrinxerant (*a*). Denique

(*a*) Teſtimonia ſignificatum *fidelium* illuſtrantia, ex aeuo Carolingico magno apparatu exhibet LOUIS CHANTEREAU LE FEBURE *des Fiefs et leur origine* p. 280. et ſq.

que *fidelium* appellatio illorum velut propria reddita eſt, qui intuitu *feudi* alteri ad fidem exſoluendam ſunt obnoxii. Iſtos *ſubiectionis* vinculum, illos *demandati officii* nexus, hos *feudi* conceſſi ratio ad fidelitatem vocat. Qui quamquam ſinguli pro diuerſi nexus, quo obnoxii erant, ratione ad officia ſpecialia adſtringerentur: omnes tamen ideo dicti ſunt *fideles*, quod omnium hoc commune eſſet officium, *eorum ope nihil factum iri, quo eius, cui obnoxii erant, ſalus laederetur, totosque ſe futuros in auertendis laeſionibus, quibus iſtius ſalus, vita, honor, bona in periculum vocarentur.* In haec iurant fideles omnes, in iisque velut conſpirant *fidelium omnium* officia, quantumcunque alioquin diuerſa. Habes itaque *fideles*, hoc nobiliori officii genere obſtrictos: habes *fidelitatem*, in iſtorum officiorum exſolutione conſpicuam, quae nihil aliud eſt, quam *praeſtatio officiorum ſpeciatim ſuſceptorum erga alterum, maxime illorum, quae in eo non laedendo et in laeſionibus aliorum ab eo auertendis verſan-*

 tur.

tur. Ita vſurpatur in *eminenti* ſignificatu; quamquam *latius* accepta, quoad eiusdem cum *fide* ſignificationis eſt, in officiorum quorumcunque, quae alter alteri debet, exſolutione verſetur, eousque patens, quousque patet obligationum naturalium ciuiliumque ad dandum faciendumue ambitus. Hoc ſenſu conuentionum fidem, placitorum fidem, contractuum fidem appellari intelligimus; eoque pertinent egregia illa VLPIANI (*b*): *Nihil humanae fidei magis congruere, quam ea, quae placuerunt, ſeruare:* in quibus illa *dictorum conuentorumque conſtantia et veritas* continetur, qua vim et poteſtatem *fidei* CICERO (*c*) exprimit.

§. II.

Fidelitas realis et perſonalis.

Fidelitatem, a qua fideles dicuntur, in vniuerſum aeſtimantes, eam vel *intuitu bonorum* deberi, vel *eorum intuitu non* deberi obſeruamus: illa *realis*, haec *perſonalis*

(*b*) *L.* 1. *D. de pact.*

(*c*) *Lib.* 1. *de offic.* c. 7.

ſonalis appellatur. In *illa* ponimus bona hac lege conceſſa, vt *conuenta fidelitas* praeſtetur: ideoque obligatio ad eam praeſtandam ex eo deſcendit, quod bona hac lege data, eademque lege ſint acceptata. *Perſonali fidelitate* obſtrictus eam non ideo debet, quod bona ea lege conceſſa poſſideat, ſed quod *ſua ſe promiſſione* ſimpliciter ad eam praeſtandam obnoxium reddiderit: ideoque haec venit ex *obligatione perſonali*, intuitu bonorum non ſuſcepta.

§. III.

Fidelitas ex parte Domini et Vaſalli.

Fidelitatis ſpecies admodum celebrata eſt *feudalis*, *intuitu feudi ſecundum leges feudales et contractum feudalem praeſtanda.* Hanc non minus *Dominus* vaſallo ſub honorifico *protectionis* nomine, quam *vaſallus* domino debet, quae et fidelitas *vaſallitica* appellatur. Vtraque tum per leges feudales tum per contractum feudalem diligentius definitur, indeque ſpeciales determinationes conſequitur. Vtraque *in-*

tuitu feudi debetur, ideoque *realis* eſt: ſiquidem feudum ſub obligatione ad mutuam fidelitatem conceditur. Subſiſtimus in fidelitate *vaſallitica*, nonnulla de his, quae ad eius natales illuſtrandos et ad eius rationem et indolem intelligendam pertinere viſa ſunt, paucis tradituri.

§. IV.

Comitum ac Soldurioru m et Clientum perſonalis fidelitas.

Qui feudorum origines a TACITI temporibus repetunt, eximia fidelitatis ſpecimina, a *Comitibus*, a *deuotis*, a *ſolduriis* praeſtita, vaſallos prodere, feudorumque primordia continere exiſtimant: cum in fidelitate eſſentialis feudi virtus contineatur. Ita quidem ſentit GE. AD. STRVVIVS (*a*), cuius coniecturam tuetur CAROLVS AVG. SPENERVS (*b*), omnem ſententiae vim collocans in fidelitate a *comitibus*, ſuis *principibus* debita, cum illorum

(*a*) In *Synt. iur. feud. cap. I.* §. 3.

(*b*) In *primitiis obſeruat. feudal. obſ. I.* §. 5.

rum praecipuum ſacramentum fuerit (*c*), defendere principes, eos tueri, ſua quoque fortia facta gloriae illorum aſſignare. Non minor *Soldurioruм* ſeu *deuotorum* in fide ſeruanda religio laudatur, quorum hanc conditionem CAESAR (*d*) tradit, vti omnibus in vita commodis vna cum his fruerentur, quorum ſe amicitiae dederint, eumque caſum vna ferrent, ſi quid iis per vim accideret. Enimuero non difficile eſt, ex gentium annalibus ſpecimina praeclarae fidelitatis conquirere; ex quibus peccaret feudorum origines repetiturus. Mos fuit Gentibus originis Germanicae admodum familiaris, vt potentiori ad fidelitatem praeſtandam ſe obnoxios redderent alii, iunctis veluti conſiliis in commoda publica decertaturi. Sed haec nonniſi *perſonalis* fidelitas fuit, quam *comites* debebant, ſuo ſe ſacramento ad principem defendendum obſtringentes; quam

(*c*) TACITVS *de morib. Germ. c. XIV.*

(*d*) *De bell. gall. lib. III. c. 22. conf. ib. VI. c. 15.*

quam exhibebant *ſoldurii*, alterius amicitiae ſe deuouentes; quam *clientes* et *ambacti* religioſe ſeruabant, alterius quippe clientelae dediti (*e*). Si honor interuenit, ſi quae principi ex bello nata eſt liberalitatis materia, ſi epulae et largi apparatus comitibus pro ſtipendio ceſſerunt, quod inprimis vrget SPENERVS; id omnino habuit munificentiae remuneratoriae rationem. A bello demum materiam munificentiae quaerebat expectabatque princeps; illumque bellatorem equum illasque cruentas victricesque frameas comites non niſi principis ſui liberalitati accepta ferebant. Notat TACITVS, defuiſſe *certum ſtipendium*, dum epulas largosque *pro eodem* cedere ſcribit, hoc eſt vicem eius velut ſubire. Et quis religionem in fide ſeruanda ab iſtis apparatibus vlla ratione pependiſſe exiſtimauerit? Fuit ergo haec *comitum* apud *Germanos*, *deuotorumque* et *clientum* apud *Gallos* ex perſonali

(*e*) Conditionem eorum erudite expoſuit GE. CHRIST. GEBAVERVS in pr. *de comitatu principum Germanicorum*.

ſonali obligatione deſcendens obligatio, intuitu bonorum haud ſuſcepta; ideoque longe aliena a Vaſallitica fidelitate.

§. V.

Vaſſorum et Vaſallorum apud Francos perſonalis fidelitas.

Inter Francos, aeuo non minus Merouingico quam Carolingico, *Vaſalli Senioribus ſuis* eo fidelitatis nexu obſtricti fuerunt, qui imaginem fidelitatis vaſalliticae exprimere multis viſus eſt: namque et ipſa *Francorum beneficia* pro *feudis*, et vaſallos, qui inter illos laudantur, pro *vaſallis feudatariis* habent (*a*). Rectiora ſenſiſſe videtur ANT. LVD. MVRATORIVS (*b*), *Francorum beneficia* non accipienda eſſe exiſtimans pro iisdem, quae poſterior aetas *feuda* nuncupauit, nec

(*a*) Inter plures hanc ſententiam ex inſtituto tradidit CHRIST. THOMASIVS *de originib. feud.* §. XV. et GABR. WOLFF de *feud. imp. orig.* §. XIV. et ſeq.

(*b*) *In antiquit. Italiae medii aeui* tom. I. p. 552. Diſſertationem, quae ibi extat de *allodiis, vaſſis, vaſallis* et *beneficiis*, *theſauro iuris feud.* inſeruit IENICHEN tom. III. p. 242.

nec *Francicos vaſallos* pro *vaſallis feudatariis.* Sententiae argumenta repetere ſuperſedeo, quae in *obſeruatione II. de feudis ex Francorum beneficiis enatis* tractaui. Eandem ſententiam nuper copioſe expoſuit BOVQVET, Parlamenti Pariſienſis aduocatus, in quantiuis pretii opere, *le Droit public de France tom. I. p.* 118. Iisdem veſtigiis etiamnum inſiſto in ratione fidelitatis exponenda, qua inter Francos Senioribus obſtricti erant vaſalli. Fidelitatem omnem, Seniori a vaſallis debitam, *non ob collata beneficia*, ſed ob *vaſſaticum* ſeu famulatum praeſtitam eſſe, veriſſime monuit MVRATORIVS. Vaſſorum videlicet et vaſallorum nomen tributum eſt omnibus, qui Regi vel potentiori alicui ſe *commendabant* (c), hoc eſt, *qui eisdem ſe*

(c) *Se commendare*, apud Francos vſurpatum eſt pro *fidelitatem facere*, ceu obſeruat HIERONYM. BIGNONIVS in not. *ad Marculfi formulas tom. II. Capitul.* BALVZII p. 899. Quam homo liber regi debebat fidelitatem; hanc is *Seniori* promittebat ſe praeſtiturum eius ductu et moderamine, eamque Se-

ſe obſtringebant ad officia ſpecialia, praeſertim ad ea, quae fides erga Regem et Regnum exigit. Hinc vaſalli non modo in *ſenſu ſpeciali* dicuntur *miniſtri* ſeu *miniſteriales, munere publico vel militari* vel praefectoriali vel palatino *defuncti*, verum etiam *generatim* omnes, qui ex more, *Seniori ſe commendandi (d), ad officia fidelitatis, patriae debita, eiusdem ductu obeunda ſe obnoxios faciebant.* Non contemnendum inſtitutum in definiendo modo, ſeruitia fidelitatis patriae praeſtandi. Ita enim Senior ab his, qui eidem ſe commendauerant, ſeruitia exigebat, ſub illius velut vexillo prae-

Senior exigebat ex regio praecepto. *Capitul. III. a.* 811. *c.* 6. 7. 8. apud BALVZIVM *tom. I.* p. 486. et *Capit. Caroli c.* 5. *tom. II.* p. 44. Vnde Senioribus iuramentum praeſtabatur ſimul *ad vtilitatem regiam.* Capitular. a. 805. c. 12. p. 431.

(*d*) Capitul. Caroli Calui a. 447. apud BALVZ. *t.* 2. p. 44. *Volumus, vt vnusquisque liber homo in noſtro regno Seniorem, qualem voluerit, in nobis et in noſtris fidelibus accipiat.* Ludouicus Pius a. 815. Hiſpanis deuictis licentiam conceſſam eſſe ait, *vt ſe in vaſſaticum comitibus noſtris more ſolito commendent.* BALVZIVS *tom. I. p.* 552.

praeſtanda. Et ſolenne fuit, iſtorum officiorum complexum *vaſſaticum* dicere. Fidem in iis praeſtandis *iureiurando* ſanciebat vaſallus: eoque pertinet capitulare, a Regibus Francorum ſaepius repetitum: *vt nulli alteri per ſacramentum fidelitas promittatur, niſi Nobis et vnicuique proprio Seniori ad noſtram vtilitatem et ſui Senioris* (e). Siue ergo *ſublimiores vaſallos* ſumſeris, in adminiſtrandis reipublicae partibus occupatos, ſiue *inferiores*, ad officia, quae fidelitas erga patriam exigit, ductu Senioris obeunda obnoxios, omnes *vi iſtius commendationis* et promiſſionis, ideoque ex *obligatione perſonali*, ad fidelitatem fuerunt obſtricti. Haec itaque perſonalis fuit; eoque nomine longe differt a fidelitate vaſallitica, intuitu *feudi* praeſtanda, ab eaque tantum abeſt, quantum hodienum fidelitas intuitu *officii* praeſtanda, hoc eſt, *officialis fidelitas* abeſt a *fidelitate clientelari*. Multos in eo lapſos eſſe,

(e) *Capitul. Caroli M. a.* 805. *tom. I. p.* 425.

eſſe, iam monuit MVRATORIVS (*f*), quod *beneficii conceſſionem* vaſallum effeciſſe, et beneficia, perinde vt feuda, ſub lege fidei data eſſe exiſtimauerint, in cuius rei argumentum ad exemplum *Taſſilonis* ſaepius prouocatum eſt, quaſi is prouinciam Boioariae ſub lege feudi poſſederit. Non omnibus vaſallis inter Francos *beneficia* obtigerunt (*g*), nec haec in *tanto* illis *numero* Senioribus ſuis ſe commendantium *tribui potuerunt*; nec etiam Seniores vlla obligatione adacti fuerunt ad eadem illis tribuenda. Vaſalli vero, beneficiis ornati, non ideo, quod beneficia impetraſſent, ad fidem obligati fuerunt. Ecquis miniſtros publicos et officiales intuitu *ſalarii* et *ſtipendii* ad fidem obnoxios exiſtimaret? Obligatio ad eam praeſtandam *ex ſuſcepto officio* et *ex illa commen-*

(*f*) L. c. p. 548.

(*g*) Carolus M. in capit. a. 801. tom. I. p. 352. *Si vaſſi noſtri hoc non adimpleuerint, beneficium et honorem perdant: et qui beneficium noſtrum non habuerit, bannum noſtrum perſoluat.* Fuerunt ergo vaſſi ſine beneficio.

mendatione deſcendebat; in cuius remunerationem, vt eſſe ſolet officiorum publicorum ratio, bona vtenda et fruenda ſtipendii ad inſtar data ſunt. Taſſilonem, more Francorum in manus Regis *in vaſſaticum* ſe commendantem, fidelitatem Regi promiſiſſe, eamdemque omnes *primates* et *maiores natu* Baioarios praeſtitiſſe refert Aimoinus. Hanc ſolennitatem *ſimplicis commendationis*, ex more Francorum ſuſceptae, rationem habuiſſe, et Taſſilonem non minus ac ceteros *prouinciae proceres* Regis vaſallos factos, eique ipſum non minus quam eius proceres ſine beneficii conceſſione fidelitatis nexu obſtrictos eſſe, obſeruauit BOVQVETVS (*h*).

§. VI.

Origo fidelitatis vaſalliticae a ſucceſſione in beneficiis militaribus deſcendens.

Tandem ex illa *fidelitate officiali et perſonali* enata ſenſim eſt fidelitas *vaſallitica:* idque

(*h*) *Dans le Droit public de France tom. I. p.* 120.

idque contigit *ſucceſſione* in beneficiis introducta, ex qua et ipſa *beneficia* in *feuda* abierunt. Recte monuit MVRATORIVS (*a*), feudorum leges ſuum praecipue incrementum imo fere exordium debere CONRADO SALICO, a quo, vt *militum maiorum* et *minorum* beneficia in filios ipſorum tranſirent, conſtitutum eſt (*b*). Quae conſtitutio cum non niſi ad *militaria beneficia* pertinet: tum et *in iisdem* tantum hanc *immutationem* primis temporibus obſeruamus. Haec videlicet heredibus vaſalli non niſi hac lege obuenerunt, vt et ipſi fidelitatem ſeruitiis militaribus praeſtarent. Itaque I. heredes vi *beneficii*, ad eosdem deuoluti, vaſalli eſſe coeperunt, cum olim non tam beneficii conceſſio, quam potius *officii* ratio et ſuſcepta ad fidelitatem obligatio vaſallum efficeret. Deinde II. *obligatio ad fidelitatem*, quae olim iuncta erat

(*a*) In *antiquit. Ital. t. I. p.* 610.

(*b*) *Lib. V. feud. tit. I.* Conſtitutionem integram exhibet MVRATORIVS l. c. p. 610.

erat *vaſſatico* ſeu officio vaſalli, iam quidem coniuncta eſt *cum beneficio*, non niſi *hac lege* ad heredes tranſeunte, ſi et hi fidelitatis munia ſubirent. Itaque vaſallus olim *propter officium* ad fidelitatem obligatus, in hanc obligationem tranſibat ex *beneficii conceſſione*, quae obligationem fidei coniunctam habebat. Atque ita fidelitas vaſallitica effecta eſt realis, non niſi *intuitu feudi* praeſtanda.

OB-

OBSERVATIO IV.

DE
indole fidei vaſallliticae
eiusque
a miniſteriali fidelitate diſcrimine.

ARGVMENTVM.

I. *Naturalia Fidelitatis vaſalliticae. Poena violationis illius.*

II. *Vis eius in praeſtandis militaribus ſeruitiis.*

III. *Indoles fidelitatis miniſterialis.*

IV. *Eius diſcrimen a vaſallitica.*

V. *Conatus miniſterialium in immutando nexu miniſterii in feudum.*

VI. *Fidelitas miniſterialis immutata in vaſalliticam.*

§. I.

Fidelitatis vaſalliticae violatae poena vnde deſcendat?

Pergo tractare argumentum, quod ſuperiori obſeruatione de *natalibus fidei vaſalliticae* exponere coepi. In *beneficiis militaribus* ſucceſſionem hereditariam primi-

tus inualuiſſe, eaque exinde naturam feudi adoptaſſe, denique fidelitatem, quae olim perſonalis fuit, iam intuitu bonorum clientelarium praeſtari coepiſſe, indeque realem eſſe effectam, pluribus obſeruaui. Haec vero duplici viſioni locum faciunt. *Prima* eſt, ex indole fidelitatis realis deſcendere illud, quod vaſallus, fidelitatem violans, feudi iacturam patiatur. Quamquam ob violatam conuentionis fidem naturali ratione ius tantum competat adigendi alterum, vt obligationi conuentae ſatisfaciat (*a*): lege feudali tamen ob *violationem fidelitatis vaſalliticae* vel ideo datum eſt ius reuocandi feudum, quod eius conceſſio *ſub lege et conditione fidelitatis praeſtandae* fiat, cui non paruit vaſallus eandem violans. *Moribus* primum inualuit haec priuationis poena, ab ipſis inſtitutis Francorum, inter quos et vaſallus fidem fallens honore, *officio* et *bene-*

(*a*) CHRIST. WOLFF. in *iur. Nat. tom. VI.* §. 450.

beneficio priuabatur (*b*), ad feuda propagata: *deinceps* non minus *contractu feudali* inter dominum et vaſallum ſaepius diſerte deſi nita eſt (*c*); tandemque *legibus feudalibus* ſaepiſſime firmata (*d*). Itaque ad *naturam fidelitatis vaſalliticae* pertinet: ad quam ea pertinere conſtat, quae *lege* definiuntur in negotio. Sed vti *naturalia* contractu immutare par eſt: ita et haec vis naturalis fidelitatis vaſalliticae *conuentione* inter dominum et vaſallum tolli, et conueniri poteſt (*e*), ne

(*b*) *Capitul. Reg. Francor. apud* STEPH. BALVZIVM *tom. I. p.* 197. *et* 352. *tom. II. p.* 330. *et* 350.

(*c*) Exemplum occurrit in inueſtitura feudi data Iacobino de Bruxatis ab Azone Eſtenſi Marchione a. 1252. apud MVRATORIVM *ant. Ital. tom. I.* p. 607. *Et ſi contra praedicta et aliquod praedictorum fecero, ex nunc ſpontanea et libera voluntate me amiſſioni feudi ſubiicio et iuri, quod in dicto feudo habeo, ex nunc renuncio.* Litteras reuerſales Henrici de Helffenſtein Eccleſiae Treuirenſi datas eiusdem argumenti refert IO. NIC. AB HONTHEIM *in hiſt. Treuirenſi tom. II.* p. 39.

(*d*) I. F. 5. II. F. 23. 24. et 55.

(*e*) Eiusmodi pacta ſaluo negotio clientelari

 inire

ne dominus ob violatam fidelitatem priuationem feudi exerceat, ſed eidem *alia ratione* ſatisfiat. Exiſtimauit tamen GOTHOFREDVS BAVERVS (*f*), eiusmodi pacta *eſſentiae fidei derogare*, nec fidem eſſe beneficiariam, *cuius violatio amiſſioni dominii, quod violanti competit*, non ſit ſubiecta Non exactae ſatis ſeparaſſe ea videtur, quae ad *naturam* fidelitatis, et quae ad eius *eſſentiam* pertinent, quae in praeſtatione officiorum debitorum, non in vindicta violatae fidelitatis conſiſtit. Poena priuationis quippe, lege definita, ad *naturam* fidelitatis clientelaris pertinet: quam conuentione immutare fas eſt. Vti feloniae gratiam facere et hanc poenam remittere, ita et de eadem conuenire poteſt dominus, ne exerceatur. *Nicolaus a Flisco, Lauaniae Comes*, ab Epiſcopatu Lunenſi a. 1254. feuda

iniri poſſe, docuit illuſtr. Dn. de SENCKENBERG *in prim. lin. iur. feud. P. II. c.* 15. §. 410.

(*f*) In diſſ. de *commun. Saxon. manu ob neglect. renouat. amiſſa* §. XXIX.

feuda tenuit hac lege (g): *Hoc acto expreſſe, vt ſi dictum comitem, vel eius heredes ſeu ſuccedentes ei vel ſuis heredibus in dicto feudo praedicta vel aliquid praedictorum aliquando non obſeruare contingeret, propter hoc non cadant a iure feudi iſtius, ſed nihilominus teneantur ad obſeruationem omnium promiſſorum.*

§. II.

Vis fidelitatis vaſalliticae in praeſtandis ſeruitiis militaribus.

Altera diſpectio eſt: ad *naturam* fidelitatis vaſalliticae ex moribus antiquis et hoc per-

(g) Apud MVRATORIVM in *antiquit. Ital tom. I.* p. 619. Subinde poena priuationis contractu feudali ſpecialius definita, eique tunc demum locus factus eſt, *ſi vaſallus ob fidem violatam, iniunctam ſatisfactionem non praeſtiterat:* vti in literis reuerſalibus Friderici *de Nouo caſtro* eccleſiae Treuirenſi a. 1277. datis apud HONTHEMIVM *hiſt. Treuir. tom. I.* p 807. vt ſi contingat *nos fidem noſtram praeſtitam et ſacramentum noſtrum temere violare, et nos moniti exceſſus et noſtra forefacta infra quindenam, ab ipſius monitionis tempore computandam contemſerimus et distulerimus emendare ſatisfactione debita pariter et condigna, ex tunc ipſo facto cadamus et cade-*

 re

pertinere, quod in exhibendis *ſeruitiis militaribus* potiſſimum occupetur. Summa fidei clientelaris capita recenſentur *II. F. 6.* ad duo momenta redeuntia: *alterum* eſt, ne vaſallus dominum ratione vitae, corporis, honoris, iurium et bonorum vlla ratione laedat, *alterum*, vt eidem in ſimilibus aliorum laeſionibus auertendis auxilium conſiliumque praeſtet. Primum verſatur in *omittendis* omnibus ſaluti Domini aduerſis: alterum *militari* praeſertim *ſeruitio* expediendum eſt. Vti *militaria beneficia* primum hereditaria facta et in feuda immutata ſunt: ita fidelitas vaſallitica perſtitit in *militaribus ſeruitiis*, iisque non minus in militia *equeſtri* quam in *caſtrenſi* praeſtandis. *Feudum rectum* non habebatur, niſi cuius intuitu erat militandum: et ab ipſo ſeruitio militari et duplici militiae genere omne feudum vel *equeſtre* fuit vel *caſtrenſe*. Vnde habetur in *Iure feud. Alem. c.* 113. *welch Gut dem Mann one Mann-*

re. debeamus ſine ſpe reſtitutionis et veniae in omnibus et ſingulis bonis feodalibus.

Mannſchaft geliehen wurd, das heiſt nüt recht Lehn. Vocabulum *Mannſchaft* a voce *vermannen*, ſeruitia militaria praeſtare, deductum (*a*), fidem denotat in *ſeruitiis militaribus* praeſtandis. Significationem egregie illuſtrat Charta Ludouici Marchionis Brandenburgici de a. 1232. (*b*). In qua recenſentur *pheodalia homagia, quae Manſchop dicuntur.* Vnde etiam haec ex iureiurando ſuſcepta obligatio ad ſeruitia militaria ***homagii*** **et** ***hominii*** (*c*) vocabulo deſigna-

(*a*) Iam obſeruauit SCHILTERVS ad *ius feud. Alem. in ſuppl. ad c.* 103. p. 474. et GE. AD. KOPPIVS de *inſigni diff. comit. et nob. immed. p.* 416. vocem *Mannſchaft* ſeruitia militaria denotare, et *vermannen*, eadem praeſtare.

(*b*) In ALB. GE. SCHWARZII *Pommerſchen Lehn-Hiſtorie p.* 342.

(*c*) Hoc ſenſu accipitur *hominium* in charta Ottonis Comitis Gelriae de a. 1230. in Gen. Dn. de GVDENVS *Cod. diplom. tom. II. p.* 936. ibi: *quod ipſe nobis fidelitatem et hominium fecit.* In charta Henrici Epiſcopi Wormatienſis de a. 1229. in *Eiusdem ſylloge dipl. p.* 169. formula eſt, *iure hominii habere in feodo.* Bona *in feudum et homagium recipi* dicuntur in charta de a. 1284 in HONTHEIMII *hiſt. Treuirenſi tom. I. p.* 820. Et vaſallus

ſignatur, et ad *naturam fidelitatis clientelaris* relata eſt (*d*).

§. III.

Indoles fidelitatis miniſterialis.

De naturâ fidelitatis vaſalliticae pauca vel ideo expoſuimus, vt viam panderent in conſtituendis eius a fidelitate *miniſteriali* diſcriminibus. Quamquam enim fidelitas miniſterialis omnia comprehendat, quae fidelitati *in genere* inſunt, nec intelligatur absque obligatione, nihil moliendi in ſalutem domini, damnaque omnia ab eo auertendi: eadem tamen pro *natura miniſterii* ſpecialius definita, tam ratione *fundamenti* quam ratione *officiorum* a clientelari differt. Miniſteriales I. ſolius *officii* ſeu *miniſterii* intuitu ad fidelitatem obſtringuntur. Siue enim ad officium aliquod *ſpeciale*, ſiue in genere ad miniſteria

ſallus *debitam* dicitur *facere fidelitatem, homagium, ac ſeruitium, prout in talibus fieri eſt conſuetum* in charta a. 1310. ibid. *tom. II. p.* 87. *et in charta a.* 1318. ibid. *p.* 97.

(*d*) II. F. 23. §. 2. *et* 55. *ſ.* I. GE. AD. STRVVIVS *in ſynt. iur. feud. cap. XI. ſ.* 4.

ſteria *honorifica* domus, aulae et curiae ſe obnoxios facerent miniſteriales: fidem ſimul eo nomine obſtringebant, iureiurando ſubinde firmatam. In *Originibus Guelficis tom. IV. p.* 167. exhibetur mandatum FRIDERICI II. Imp. ad *miniſteriales intra Comitatum Stadenſem conſtitutos*, vt Ottoni de Luneburg, quem Ducem crearit, obediant, his verbis conceptum: *Mandamus, quatenus eidem Duci, dilecto Principi noſtro, attendatis et obediatis de cetero, tamquam Domino veſtro, ſibi fidelitatis iuramentum ſecundum conſuetudinem imperii exhibentes, vt ex fidelitate et deuotione, quam erga eum habebitis de cetero, melius commendari poſſitis.* Itaque fidelitas miniſterialium rationem habuit fidelitatis *officialis*, intuitu miniſterii praeſtandae, et *perſonalis* fuit. Rem dubiam non faciunt *beneficia* miniſterialibus ſaepiſſime conceſſa: namque haec eisdem pro ſtipendio ſeu ſalario ceſſerunt, eoque nomine *beneficiorum Francicorum* indolem, perinde vt beneficia eccleſiaſtica, conſeruarunt.

uarunt. Et veriſſimum medio aeuo eſt illud, non *beneficii conceſſionem*, quae ne omnibus quidem contigit, effeciſſe miniſterialem, ſed *obligationem ad miniſteria obeunda pro ſe ſuisque ſuſceptam:* vnde et natos natasque eſſe ſcimus maſculos feminasque miniſteriales absque beneficio. In argumentum illius fidelitatis perſonalis vel haec addere iuuabit, *primo*, quod miniſteriales *inuito domino* ab obligatione ſua ſemet ipſos liberare non potuerint (*e*); quod alioquin licebat Vaſallo, feudum *inuito domino* refutanti: *deinde* quod in alienatione et permutatione miniſterialium non niſi *ius domini in perſonas miniſterialium* in nouos dominos transferretur (*f*), bene-

(*e*) Quod docte monuit CHRIST. LVD. SCHEID, *vom hohen und niedern Adel. p.* 104. *not. l.*

(*f*) In eiusmodi *permutatione miniſterialium* mutatus tantum eſt *nexus obligationis*, ita vt miniſterialis ab obligatione erga priorem dominum dimiſſus in nexum fidelitatis erga nouum dominum tranſiret. Id illuſtrant literae ſuper permutatione duorum miniſterialium, quibus *Albertus* Dux Brunſuicenſis pro Ioanne ab Harste ab Epiſcopo Hildeſemenſi recepit

beneficiis, quibus antea donati erant, in prioris domini iure et poteſtate perſiſtentibus, cum contra Vaſallus non niſi *cum feudo* alteri cederetur, alienatione dominii directi forte in maioris vel aequalis clypei dominum ſuſcepta.

§. IV.

Eius diſcrimen a fidelitate vaſallitica.

Sed videamus II., quaenam fuerint partes fidelitatis *miniſterialis*, quibus illam a *clientelari* differe diximus. Conſiſtebat fidelitas miniſterialis in *miniſterio* obeundo officiisque omnibus, ad commoda Domini per *miniſterium* promouenda, damnaque

cepit Ludolfum de Medem. *Dei gratia Albertus iuuenis Dux de Brunswick omnibus preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem et ſincere dileccionis affectum. Notum facimus preſentibus et futuris, quod nos Iohannem de Herſte, Miniſterialem noſtrum, dedimus eccleſie Hildenſemenſi, et pro ipſo recepimus a domino Henrico Hildeſemenſi, ex cauſa permutationis, dominum Ludolfum de Medhem militem, vt ea* fidelitate et ſeruitio *teneatur nobis, quo prius erat Hildenſemenſi eccleſie obligatus, conſentientibus eis, quorum conſenſus eſt in permutatione requirendus. Datum apud Mundam anno gracie MCCLI IX. Kal. Ianuarii.*

que eiusdem auertenda comparatis. Obligatio ad *ſeruitia militaria*, quae propria eſt *vaſalliticae*, non inerat fidelitati miniſteriali, qua tali. Si quae illorum ab miniſterialibus praeſtita leguntur, non tam ex nexu miniſteriali, quam potius vel ex nexu vaſallagii, quo iidem ſaepius ſimul obſtricti erant, vel ex nexu ſubiectionis praeſtita ſunt, quo omnes ad militiam pro patriae defenſione vocantur. Vnde in iure feudali SAXONICO art. 67. et ALEMANNICO art. 43. et apud VETEREM AVCTOREM *de beneficiis* §. 149. vel in hoc ſolo character bonorum, quae *iure ſeudi* et quae *iure curiae*, iure *officii*, *nach Hofe-Recht* tenentur, collocatur, quod *illa* dentur ſub obligatione ad *militaria ſeruitia*, *haec* ſub eadem non conferantur: ex eoque adhuc ſeculo XIII. negatum eſt, *beneficium miniſteriale* pro *feudo* eſſe habendum. In vtroque genere bonorum discernendo ſolius obligationis ad militiam, ſub qua tantum feudalia dabantur, praecipuam rationem habitam eſſe, eleganti exem-

exemplo exornare iuuabit, quo Burchardus Comes Oldenburgenſis MINISTERIALI ſuo Conrado de Hemmehuſen curiam iure feudali largiebatur in charta de a. 1234 (*a*): *Nouerint vniuerſi, quod Conradus de Hemmehuſen*, MINISTERIALIS NOSTER, *curiam vnam in eadem villa Hemmehuſen ſitam, non loco miniſterialis, ſed ratione homagii a patre noſtro et a nobis iure tenuit feodali.* Cum Conradus eiusdem Comitis Burchardi miniſterialis eſſet, ex eoque dubitatio emerſiſſet, vtrum eandem villam iure magis miniſteriali quam feudali poſſideret: dubitationis tollendae cauſa Comes in hac charta definiuit, eundem ratione homagii, hoc eſt, ſub nexu militaria ſeruitia praeſtandi, quo ſenſu homagium feudale *die Mannſchafft* venire, §. ant. vidimus, curiam tenuiſſe. Ideoque addit: *Vnde recognoſcimus, eum, pueros ſuos, et vxorem eandem curiam non loco miniſterialium, ſed ratione, vt diximus, homagii a patre noſtro et a nobis poſſidere.*

§. V.

(*a*) Hanc dedit SCHEIDT. *l. c. p.* 104.

§. V.

Miniſterialium conatus in immutando nexu miniſterii in feudum.

Diſcrimina fidelitatis vaſalliticae et miniſterialis fere deſierunt, poſtquam ſublato miniſterialitatis nexu beneficia miniſterialium indolem *feudorum* adoptarunt. Primo quidem miniſteriales beneficia *iure hereditario* acquirere omni ſtudio contenderunt. Recenſet CHRISTOPH. BROVWERVS (*a*) querelas abbatum Fuldenſium aduerſus *miniſteriales*, qui, vt beneficia miniſterialia *hereditaria* efficerent, iam ſeculo XII. eadem iure feudi cenſeri volebant, ius ſibi in iisdem aſſerentes, quod *Lehenrecht* nominabant. Aduerſus ſimiles conatus miniſterialium abbatis Stabulenſis *Lotharius* II. a. 1131. et a. 1136. ſententiam dixerat (*b*), ne *villici et iudices* mini-

(*a*) *In antiquit. Fuld. lib.* 3. c. 18. p. 266.

(*b*) Diploma vtrumque habet ED. MARTENE in *collect. monum. ampliſſ tom. II. p.* 90. et 97. *Santimus, ne iure hereditario villici vel iudices fiant, ſed vtrumque miniſterium, id eſt villicationis et iuuriae* (iudicis munus) *in po-* *teſta-*

miniſteria iure hereditario ſibi aſſererent. Litem de *Praefectura Vrbis Magdeburgenſis*, miniſterii iure commiſſa, et iure feudi ſeu beneficii aſſerta, recenſet charta *Wichmanni* Archiepiſcopi Magdeburgici de anno 1159.

Quoniam quae noſtris in temporibus aguntur, upud poſteros in obliuionem cito veniunt, niſi teſtimonio ſcripturae firmentur; dignum duxi preſentis pagine inſcriptione ſubnotare, quod apud poſteros meos ratum et inconvulſum cupio vſque in perpetuum permanere. Notum ſit igitur vniuerſitati fidelium tam futurorum quam preſentium, qualiter ego Wigmannus diuina fauente clementia ſancte Magdaburgenſis eccleſie Archiepiſcopus diutinam habui contentionem cum SIFRIDO, *filio* HATHEMARI, *Sculteti*, pro eo videlicet, quod ipſe aſſerebat, *prefecturam et regimen Magdaburgenſis ciuitatis patris ſui Hathemari bene-*

teſtate abbatis et gratia conſiſtat et eis IVRE ET LEGE MINISTERIORVM *et non* IVRE BENEFICIORVM *diem et legem abbates conſtituant.*

beneficium ab antiquo fuiſſe, *et id ipſum ſe a predeceſſore meo beate memorie Domino Friderico venerabili Archiepiſcopo in beneficium iure hereditario accepiſſe.* Quod quidem ego multis conatibus infirmare diu laboraui, *ducenſque argumentum ex iure et conſuetudine aliarum ciuitatum*, *ius beneficiale in eo nec poſſe nec debere eſſe*, *in preſentia Domini Friderici Romanorum Imperatoris Auguſti*, *inquiſita ab ipſo ſententia*, *principibus ac nobilibus*, *miniſterialibus* quoque, qui aderant, communiter et concorditer *aſſentientibus, obtinui.* Nichilominus tamen prenotatus Sigfridus, contra datam aduerſum ſe ſententiam, in iuſticia, quam ſe putabat habere, perſiſtere ac perſeuerare nitebatur, et huiusmodi contentio inter me et ipſum aliquanto tempore agitabatur. Accidit autem, vt idem Sifridus graui correptus infirmitate pro recuperanda gratia mea, a qua alienus propter cauſſam predictam habebatur, amicorum ſuorum conſilio et auxilio laboraret, et, quicquid iuris in eo, quod dictum eſt, regimine ſe dixerat habere, plenarie mihi reſignaret, tanta ſtabili-

bilitate, vt nec ipſe, nec quisqne heredum ſuorum illud aliquo modo de cetero affectaret. Cuius ego compatiens infirmitati, tria ei talenta in Ottersleue et duo in Calua in beneficium conceſſi, *ipſumque regimen ſue procurationi, non in beneficium, ſed in officium, et quaſi quandam villicationem vsque ad finem vite ſue commiſi.* Vxori quoque ipſius et filio ſuo Heinrico, qui ſolus ex aliis filiis ſuis in ditionem eccleſie Magdaburgenſis ceſſit, omne patris beneficium conceſſi, ita tamen, vt, ſi idem Henricus absque lib ris et legitimis heredibus obierit, fratres ipſius hominii iure idem beneficium poſſideant. In quo facto quia non parua vtilitas et honeſtas eccleſie Magdaburgenſi et eius Archiepiſcopo conſiſlit, ſub anathemate indico, ne quis meorum ſucceſſorum cuiquam hominum eam preſecturam inbeneficiare, aut quouis modo ab vſu Archiepiſcopi alienare preſumat. Actum eſt hoc IIII. Kl. Iulii, anno dominice incarnationis M°. C°. L°. VIIII°. Indictione VII. preſentibus his, quorum nomina continentur: Arnoldus Abba de Monte. Otto Vicedominus

et Camerarius. Sifridus Prepoſitus. Heinricus. Thiedericus. Rockerus. Bertoldus. Burchardus Burggrauius. Richardus, Meinricus &c. et plures alii, quorum hic nomina non poterant contineri.

Hinc in miniſteriis concedendis adhiberi coepit cautela, vt in conceſſione diſerte diceretur, eam *non iure feudi* ſed *iure officii* fieri. Hanc cautionem obſeruatam legimus in conſtitutione ALBERTI, Archiepiſcopi Magdeburgici, de Vicedominatu de a. 1213. ex qua in diplomatario Magdeburgico haec referuntur: *Contulerat ante hac Archiepiſcopus Friderico illuſtri comiti in Brenen vicedominatum Curie ſue in officium, non in feudum, artatus ſcilicet ſtatus ſui qualitate: quem cum Comes reſignaſſet Alberto Archiepiſcopo et ſtatus iſte nondum ceſſaret, eandem dignitatem nobili viro, Alberto de Arnſtein, ſimiliter nomine officii, non in feudo, hac conditione contulit, vt quam primum illud officium vacet, illud numquam perſone laice iterum conferatur. Actum Magdeburg IV. Kal. Auguſti anno dominice incarnationis MCCXIII. Pontificatus Alberti Archiepiſcopi anno VI.*

§. VI.

§. VI.

Miniſterialis fidelitas ſenſim immutata in vaſalliticam.

Procedente deinceps tempore beneficia miniſterialium vel longo vſu, vel ſubinde dominorum indulgentia et conuentione hereditaria facta ſunt (*a*); quo ipſo idem

(*a*) Exemplum illuſtre eſt in *maioribus aulae miniſteriis*, quae iam ſec. XIII. in epiſcopatibus nonnullis hereditaria reddita, *in feuda* conuerſa ſunt. Exemplum ab officio dapiferatus in Epiſcopatu *Bambergenſi* refert MASCOVIVS *de orig. offic. aulic.* §. 32. Aliud addimus de *dapiferatu epiſcopatus Hildeſienſis*, quem cum *Erneſtus* hereditario et feudi iure ſibi aſſereret, *Conradus* Epiſcopus interpoſito omni ſtudio, de eo ad *priorem Miniſterii indolem* reducendo, effecit, vt Erneſtus accepta certa pecuniae ſumma pro ſe et ſuis heredibus dapiferatui renunciaret. Itaque *dapiferatum* ad liberam eccleſiae ſuae diſpoſitionem reuocauit Epiſcopus conſtituitque, vt nemini in poſterum *in feudum* conferretur. Confirmauit illud Fridericus II. Imp. in diplomate, quod beneuole mecum communicatum hic ſubiicio. *Fridericus Dei gracia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem et Sicilie Rex per preſens ſcriptum notum facimus imperii fidelibus vniuerſis, tam preſentibus quam futuris, quod Conradus venerabilis Hildenſemenſis epiſcopus, dilectus princeps noſter, iuxta interpre-*

 taci-

idem in iisdem contigit, quod in *beneficiis Francorum militaribus* eueniſſe diximus, vt intuitu beneficii, ad heredes deuoluti, fidelitas praeſtaretur, eaque inde euaderet realis, perinde vt fidelitas vaſallitica. Deinde inter tot frequentes allodio-

tacionem epiſcopalis nominis eccleſie ſue prodeſſe cupiens, cui preeſt, ad vtilitatem ipſius eccleſie ſue et ſucceſſorum ſuorum officium dapiferatus, quod Herneſtus, miniſterialis eius, in feodum tenebat, ab ipſo pro Centum quinquaginta marcis argenti et duabus libris Hildenſemenſis monete in certis reditibus ab eodem Herneſto ſuisque heredibus comparauit officium dapiferatus predicti ad ſpecialem proprietatem eccleſie ſue perpetuo reuocando. Verum quia nos pro meritis eiusdem epiſcopi, que magna et clara ſunt in conſpectu noſtro, ſuis et eccleſie ſue commoditatibus tenemur intendere, emcionem predictam ratam habentes ad opus eiusdem eccleſie eam perpetuo precipimus inuiolabiliter obſeruari, auctoritate preſentis ſcripti firmiter inhibentes, ne idem epiſcopus vel aliquis ſucceſſorum ſuorum de officio dapiferatus predicti aliquem infeodare, vel ipſum modo quolibet alienare preſumat; Sed ipſe epiſcopus et ſucceſſores ſui ad honorem et commodum eccleſie ſue et ad vſum ſpecialiter ſuum in manibus ſuis illud debeat perpetuo retinere. Decernentes, ſi quid in contrarium factum fuerit, ipſo iure penitus non tenere. Datum Parme anno Dominice incarnacionis MCCXXVI. Menſe Maii Indiccione XIIII.

lodiorum in feudum oblationes naturae fidelitatis vaſalliticae, in *ſeruitiis militaribus* exhibendis conſpicuae, ſaepiſſime derogatum eſt, et conſtituta ſunt feuda, in quibus vel obligatio ad militandum *remiſſa*, vel alio *officiorum genere* fides quaeſita eſt. Iam vti duplex potiſſimum inter fidelitatem vaſalliticam et miniſterialem diſcrimen conſtituimus, tum quod illa *intuitu feudi*, haec intuitu miniſterii praeſtaretur, tum quod illa in *ſeruitiis militaribus* exhibendis, haec in miniſterio obeundo ſeſe exſereret: ita euanuit fere vtrumque diſcrimen, poſtquam fidelitas *miniſterialis* intuitu beneficiorum, iure hereditario acquiſitorum, praeſtari; indeque realis fieri, pariter atque fidelitas *vaſallitica* alio officiorum genere, quam ſolo militari ſeruitio, explicari coepit. Natus inde eſt ingens feudorum, quorum intuitu militaria ſeruitia non debentur, numerus (*b*); quae omnia *impropria* cenſentur, cum in iisdem derogatum ſit naturae fidelitatis clientelaris.

 OB-

(*b*) Conf. MASCOVIVS de *iure feud.* c. III. §. 40

OBSERVATIO V.
DE
femina miniſteriali.

ARGVMENTVM.

I. *Miniſterialium conditio.*
II. *Nexus miniſterii translatus ad liberos vtriusque ſexus.*
III. *Femina miniſterialis fiebat et naſcebatur.*
IV. *Ob connubia miniſterialium domini interfuit habere feminas miniſteriales.*
V. *De liberis ex diuerſorum dominorum miniſterialibus natis eorumque diuiſione.*
VI. *Miniſteria feminae miniſterialis.*
VII. *Ius domini in eam. Eius alienatio et permutatio.*
VIII. *Dimiſſio eius ex nexu miniſterii.*

§. I.

Miniſterialium conditio.

Si perpendimus arctiſſimum nexum, quo apud veteres Germanos *principum* lateri adhaerebant *comites*, ad officia praeſtanda honore et ſtipendiis euocati, illorumque decus et praeſidium in pace et bello futuri; ſi *deuotorum ſolduriorumque* apud Gallos conditionem, omnibus vitae commo-

modis et infortuniis cum his fruentium, quorum amicitiae ſe dediderant, ſi *amba-ctorum clientumque*, quibus circumdari principes ſolebant, rationem intuemur (*a*); mirari non ſubit, poſteriori aetate a ſua indole non alienum exiſtimaſſe Germanos, aliis dignitate, virtute potentiaque florentibus *ſe ſuosque omnes* ad officia honorifica praeſtanda obnoxios efficere, eorumque fieri miniſteriales. Qui ſic in alterius familiam tranſibant, *libertatis* quidem hanc diminutionem patiebantur, quam *officiorum*, ex conuentione praeſtandorum, huiusque obligationis *ad poſteritatem* tranſiturae, ratio exigebat, vſusque et obſeruantia ferebat; ſeruata vbique *ingenuitate*, qua intuitu ſtatus ciuilis fruebantur. In honorificorum, quae in pace et bello, in aula et extra eandem ſubibant, officiorum functione nihil omnino continebatur, quod *generis* et *ſtatus ingenuitati* aduerſaretur; quin potius ipſa miniſteriorum, in

(*a*) Horum omnium indolem docte et adpoſite explicuit GE. CHRIST. GEBAVERVS in progr. de *Comitatu principum Germanicorum*,

in dignitate et honore poſitorum (*b*), ratio ingenuos miniſteriales deſiderabat (*c*).

§. II.

Vnde nexus miniſterialis tranſierit in liberos vtriusque Sexus.

Ex adſtrictiori miniſterialium nexu illud hoc loco repetere iuuabit, quod perſonalis eaque honorifica ad miniſteria obeunda obligatio ad *eorum poſteritatem* propagata ſit, *libera* ipſorum *conuentione,* vſuque et *obſeruantia Germaniae* id comprobante; vt videlicet et poſteris largitiones et

(*b*) In publico iudicio, quod Conradus II. aduerſus nimiam Miniſterialium Corbeienſium potentiam tulit in diplomate a. 1150. apud EDM. MARTENIVM in *Collect. monum. Ampliſſ. tom. II. p.* 607. nominantur et deſcribuntur miniſteriales, et inter eos *dapiferi et pincernae et reliqui, qui miniſterii locum in domo Corbeienſis Abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine* OFFICIA *appellant.*

(*c*) Hanc cauſam luculentis argumentis inſtruxerunt DAV. GE. STRVBEN. in *obſeruat. iur. obſ. II. de miniſterialium dignatione p.* 44. et CHRIST. LVDOV. SCHEIDT *vom Hohen und Niedern Adel in Teutſchland* §. 20. *et ſq.*

et commoda *beneficiorum* eamque *dignationem* conciliarent, qua in aula et curia eminebant. Parentes *liberos ſuos*, natos et naſcituros, huic nexui ſubieciſſe, docent conuentionum formulae. *Henricus* et *Otto* de *Barmſtede*, miniſteriales eccleſiae Bremenſis facti, a. 1257. fidem ſanciunt (*a*), *ſe ſicut miniſteriales fideliter perpetuo ſeruituros; vxores noſtrae, liberi noſtri, iam nati et adhuc naſcituri, idem facient*. Femina nobilis *Engila de Sandolteshuſen* eccleſiae Friſingenſi ſeculo XI. ſe tradidit ea conditione, *vt ipſa omnisque poſteritas illius legitimorum eccleſiae ſeruientium iure et lege viuerent* (*b*). In diplomate *Conradi* Comitis Luxemburgenſis, Abbatiae S. Maximini anno 1135. dato (*c*), recenſentur miniſteriales, qui *ius miniſterialium a praedeceſſoribus ſuis integritate generis*

(*a*) Vid. Charta apud LVNIGIVM in *ſpicil. eccl. Part. I. Fortſ. in app. tom. XVI. Arch. Imp.* p. 114.

(*b*) Chartam habet CAROL. MEICHELBECK *hiſt. Friſing. tom. I. p. II. p.* 526.

(*c*) In V. R. IO. NIC. AB HONTHEIM, *hiſt. diplom. Treuirenſi tom. I. p.* 528.

neris et conditionis obtinuerunt. Itaque poſteri *vtriusque ſexus* ex paterna vel auita conuentione facti ſunt miniſteriales, et *feminae* ſubinde *ſponte* eundem nexum ſubire non dubitarunt. Habet inde media aetas *feminas miniſteriales* non minori numero ac maſculos (*d*), easque non minus in nexu *procerum imperii* quam in nexu *imperatoris et imperii* conſiſtentes: quod cum mirum videri poſſit perpendenti, ſequiorem ſexum, in aliis omnibus occupatum, a miniſteriorum functione ſolere eſſe alienum, rationes hujus inſtituti expendere, et de *femina miniſteriali* quaedam commentari non prorſus iniucundum fore arbitror.

§. III.

Feminae miniſteriales fiebant et naſcebantur.

Miniſteriales feminas fieri et naſci apud Germanos, exemplis pluribus edocemur.

(*b*) HENRICVS LEO, dum miniſterialibus ſuis copiam facit legendi ad eccleſiam de Itingen, a ſe conditam, *conceſſimus*, inquit, *vt qui-*

cemur. *Fiebant* propria conuentione; et feminas facile cepit quaedam pietatis opinio, qua ſe ſuosque miniſteriis eccleſiae deuouerent; vt in exemplo Giſelae, antea expoſito, apparet. *Naſcebantur* ex parentibus miniſterialibus. Alterutrum parentem miniſterialem eſſe ſufficiebat. Itaque ex *patre miniſteriali* et matre libera naſcebatur miniſterialis eius domini, cui obnoxius erat pater. Ita ex principum imp. ſententia decidit OTTO IV. Imp. in diplomate a. 1208. (a). *Conſtitutus in praeſentia noſtra in ſolenni curia apud Auguſtam in multorum hominum et aliorum principum praeſentia dilectus fidelis noſter, Fridericus Tridentinus epiſcopus, quaeſiuit in ſententia, ſi miniſterialis alicuius eccleſie duceret in vxorem aliquam mulierem liberam, ſi pueri inde*

quicunque miniſterialium noſtrorum, SIVE VIR SIVE MVLIER, *eo aliquid allodii ſui pro eleemoſina conferre voluerit, cum beneplacito noſtro et permiſſu id faciat.* Charta de a. 1155. extat in rev. Dn. P. HERGOTT *Genealogia Habsburgica tom. II. in Cod. Prob.* p. 179.

(a) In *Originibus Guelficis tom. III. N.* 295. p. 789.

de ſuſcepti vel eſſe debeant liberi, vel eſſe debeant iuxta conditionem patris eccleſiae miniſteriales? Et dictatum eſt in ſententia, quod pueri ex eiusmodi matrimonio nati eſſe debeant ipſius eccleſiae miniſteriales, cuius et pater eſt miniſterialis: alias enim omnes miniſteriales omnium eccleſiarum imperii deperirent. Sed et *matrem* miniſterialem eſſe ſufficiebat. Id ferebat mos Germanorum, vt partus eidem, cui mater, eſſet obnoxius, et ius domini in matrem propagaretur in liberos, ex ea natos. Cuius rei vſus cum in hominibus propriis perſpicitur; tum quadam *iuris ſimilitudine* in miniſterialibus inualuit. *Liberi* in nexu miniſteriali eius *domini* erant, cui parebat *mater*, ſiue *pater liber*, ſeu a nexu miniſteriali immunis, ſiue *miniſterialis* alterius Domini eſſet. Itaque liberi ex vtroque parente, miniſteriali quidem, ſed *diuerſis dominis* obnoxio, nati, ex regula non ſeruiebant domino patris, ſed *domino matris*, nec ad patris officium et beneficium adſpirabant, ſed in ſpem miniſterii et bene-

ficii

ficii per matrem obtinendi naſcebantur. Ita definiuntur iura miniſterialium Abbatiae Maximinianae in charta antea excitata de a. 1135 (*b*). *Si quis miniſterialium eccleſiae extraneam vxorem duxerit, filii eius praedictum ſeruitium, quod pater eorum, quia miniſterialis erat, habuiſſe videbatur, non habebunt: femina miniſterialis eccleſiae, ſi viro extraneo nupſerit, filii eius, propter conditionem matris, praedicto officio non priuabuntur.* FRIDERICVS II. Imp. in diplomate de anno 1254. ſupplicibus precibus ſe rogatum eſſe refert (*c*), vt permitteret, filium Sigfridi miniſterialis et Mareſchalli Moguntini, etiamſi *ex parte matris debeat eſſe miniſterialis imperii*, miniſterialem fieri Moguntinum et paterno miniſterio in eccleſia Moguntina defungi; idque ex gratia indulſit imperator. *Arnoldus*, praeſul Moguntinus, in charta A. 1155. (*d*) ma-

(*b*) Apud HONTHEIMIVM *l. c. p.* 528.

(*c*) In Dni. de GVDENVS *Cod. Diplomat. tom. I. p.* 534.

(*d*) Ibid. *tom. I, p.* 221.

matrimonium refert Reinoldi, *Quedlinburgenſis eccleſiae Miniſterialis*, cum *quadam miniſteriali eccleſiae Moguntinae* Methilde, filia Theodorici de Geiſmar, *vnde*, pergit, *proles quam ex ea genuerat, quia eccleſiae Moguntinae attinebat, nec praedia nec beneficia, quae ipſe a Quidlinburgenſi habebat eccleſia, ſecundum ius regale poterat obtinere.* Inde pro miniſterio et beneficio paterno, Reinoldo conciliando, concambium miniſterialium inter vtramque eccleſiam initum eſt.

§. IV.

Ob connubia miniſterialium Domini interfuit, habere feminas miniſteriales.

Dominorum itaque tantum interfuit, habere feminas miniſteriales, quantum intererat, ſeruare in miniſterialium ſuorum poſteritate nexum miniſterialitatis. Vt enim *proles miniſterialium* ipſis eodem nexu eſſet obſtricta, miniſterialem ex *familia* ipſorum, ita videlicet nuncupari

mi-

miniſteriales omnes eidem domino ſeruientes ſolebant, vxorem ducere oportebat in matrimonium. Ex quibus perſpicitur ratio, quare non modo miniſterialium maſculorum non minus ac feminarum *connubia* ad *Dominorum conſenſum* ſaepiſſime ſint adſtricta, verum etiam domini ſubinde diligenter proſpexerint, ne eorum miniſteriales cum alterius poteſtatis miniſterialibus matrimonio iungerentur. Si enim miniſterialis nuptias *feminae extraneae* miniſterialis adpetebat, liberi ex illis nati, ob *conditionem matris*, in *extranei domini nexu* ex regula conſiſtebant. Sin femina miniſterialis nupſerat *miniſteriali extraneo*, illud incommodi intercedebat, quod miniſterium beneficiumque maternum, per matrem in liberos, ex extraneo patre natos, translatum, in homines alterius prouinciae tranſiret; cum intereſſe videretur, miniſteria et beneficia ſeruare inter eiusdem prouinciae homines. Exemplis conuentionumque formulis haec firmare iuuat, quibus proſpectum eſt, ne miniſte-

riales alios, niſi *eiusdem domini miniſteriales* matrimonio ſibi iungerent. *Wernerus* miles, ob Burggrauionatum caſtri Trys in nexu miniſteriali eccleſiae Treuirenſis conſtitutus, in charta anni 1277 (*a*) ſpondet, *quod nos, liberos noſtros vtriusque ſexus, tam genitos quam gignendos nullis aliis quam miniſterialibus eccleſiae Treuirenſis debemus et poterimus matrimonialiter copulare, ne cuſtodia dictae turris vel Burggrauionatus in praeiudicium eccleſiae Treuirenſis et in laeſionem deteriorationem vel diminutionem iuris ipſius eccleſiae ad manus deuoluatur vel deueniat alienas, nec aliquis liberorum noſtrorum aut heredum vel quicunque alius burggrauionatum praedictum tenere poterit vel habere, qui non ſit miniſterialis eccleſiae Treuirenſis.* Eadem lege *Henricum de Apolde* in pincernam et miniſterialem eccleſiae Moguntinae receptum eſſe legimus in charta anni 1269. (*b*) conuentionis formula in

(*a*) In HONTHEIMII *hiſtor. dipl. Treuir. tom. I. p.* 805.

(*b*) Apud Dn. DE GVDENVS *l. c. tom.* I. *p.* 917.

in haec verba concepta: *promitto - - - quodſi unquam aliquam feminam de genere miniſterialium aliorum quam eccleſiae Moguntinae duxero in vxorem, filii, quos ex tali vxore genuero, petendi et habendi Nomen et officium pincernae, quod mihi iam pridem praefatus dominus meus archiepiſcopus Moguntinus contuliſſe dignoſcitur, ius aliquod non habebunt.* Eadem lege *Marcholfus*, praepoſitus Aſchaffenburgenſis, duos viros Burchardum et Druitmannum in charta anni 1127 (c) *miniſteriales ſibi conſtituit, et ex eis alterum* pincernam, *alterum vero* Marſcalcum *ordinauit: ita vt ſi iidem praenominati viri legitimas de familia eiusdem eccleſiae vxores duxerint, et ex eis liberos procreauerint, qui inter eos maiores maſculini ſexus fuerint, eadem praedicta officia iure hereditario obtineant; et ſic per ſingulas generationes in perpetuum ſibi per eandem conditionem ſuccedant.*

§. V.

(c) *Ibid. tom. I. p.* 394.

§. V.

De liberis, ex miniſterialibus diuerſorum dominorum natis, eorumque diuiſione.

Quamquam regulam expoſuerim, liberos per conditionem matris miniſterialis domino eidem, cui mater, ſubeſſe: haec tamen vniuerſim non obtinuit, cum inter *diuerſos miniſterialium dominos* aliud ſaepe numero *pactis* caueretur. In conditione miniſterialium multum valuerunt pacta, quibus effectum eſt, vt varia eorum fuerint in diuerſis prouinciis et dominorum familiis iura; vt fere fieri hodie ſolet, principum miniſtros alios in adſtrictiori, alios in laxiori eſſe officii nexu. Itaque non modo ex *diuerſorum dominorum* conuentionibus inter *eorumdem* miniſteriales permiſſae ſunt nuptiae, ſed et de liberis, ex eiusmodi *nuptiis* genitis, cautum eſt, vt *diuiderentur inter vtrumque dominum*, vel ſi impares vel vnus tantum naſcerentur, ad alterutrum pertinerent, prout con-

conuentio definiebat (*a*). De matrimonio inter *miniſteriales imperii* et *miniſteriales Moguntinos* ineundo ad preces praeſulis Moguntini haec cauet HENRICVS Imp. VI. in diplomate anni 1192 (*b*). *Matrimoniorum contractus inter miniſteriales Imperii et archiepiſcopatus Moguntini absque impedimento libere et licite poſſe fieri et obſeruari: videlicet, vt vbicunque inter miniſteriales imperii et Archiepiſcopatus matrimonium contractum fuerit, liberi, quos genuerint, hinc inde equaliter diuidantur, et inter liberos hereditas equa lance diſtribuatur. Item ſi tantum vnum heredem habuerint, et ille fuerit de conditione miniſterialium imperii; ducet*

(*a*) Variarum ea de re conuentionum exempla exhibent IO. GE. ESTOR de *Miniſter*. *p*. 144. et V. A. CHRIST. GOTTL. RICCIVS *vom Landſäſſigen Adel cap. X. §.* 3.

(*b*) Quod exhibet Dn. de GVDENVS *l. c. tom. I. p.* 312. Similis conuentio inter Epiſcopum Herbipolitanum et Epiſcopum Eyſtettenſem *de pueris*, ex matrimonio vtriusque eccleſiae miniſterialium ſuſceptis inuicem *diuidendis* exhibetur in charta a. 1243. in IO. HENR. de FALCKENSTEIN *cod. dipl. antiquit. Nordgau.* N. XXXIV. p. 43.

cet vxorem alterius conditionis de familia ſcilicet archiepiſcopatus et e conuerſo; et quos heredes genuerint, ſimili modo diuidentur, et imperium et archiepiſcopatus in equam eorum participationem conſentiant. HENRICVS *Comes de Ortenberch* miniſterialibus ſuis nuptias cum miniſterialibus Ducis Bauariae a. 1239. ea lege indulſit, vt liberi ex illis nati aequo iure diuiderentur (*c*). *Indulgemus*, inquit, *vt quicunque miniſterialium noſtrorum in poteſtate Domini noſtri* OTTONIS, *illuſtris Comitis Palatini Rheni, Ducis Bawarie et heredum ſuorum nupſerint, in perpetuum in hoc noſtram gratiam non offendant, ſed pueri procedentes ex eis equaliter diuidantur ſibi et nobis.* Eadem lege Nobiles de Arnſperch a. 1256. ratum habent matrimonium a ſua miniſteriali cum extraneo contractum (*d*): *quod Adelheidis, filia Domini Ottonis Militis, dicti de Zant, quae nos iure proprietatis reſpicit*

(*c*) Vid. charta in *mantiſſa documentorum* ad CHRIST. LVD. SCHEIDTII tr. *vom hohen und niedern Adel* n. 142. p. 496.

(*d*) *In cit. mantiſſa* n. 143. p. 497.

reſpicit, contraxit matrimonialiter cum Vlrico de Memdorf, miniſteriali Domini noſtri Ludwici, incliti Comitis Palatini Rheni, Ducis Bawarie, tali interpoſita condicione, vt heredes ipſorum, ſi quos ſimul genuerint, ſeu procreauerint, nobis et Domino noſtro, Duci praelibato, ſuis heredibus, ac Domino noſtro Henrico fratri ſuo, equaliter diuidantur. Ceterum quamquam hoc *ius domini in prolem miniſterialium ſpeciem* aliquam *proprietatis* mentiatur: illud tamen ex natura at propria indole miniſterialitatis non vero ex rationibus inſtituti *diuerſi*, et ab hoc nexu longe alieni, explicandum eſt: quod faciunt illi, qui miniſteriales, *hominum propriorum* cenſu habent, *ſimilitudine* in deuia vocati in inſtituto omnino diuerſo. Quemadmodum ingenui *ſe ſuosque* ad miniſteria honorifica aliis praeſtanda obſtrinxerunt; ita ius domini in eorumdem prolem *ex ipſa conuentione* et *ſpontanea ſubiectione* natum eſt, idem futurum in eorumdem ſobole, quale fuerat in patre matreue; vti ex inuerſo liberorum ius

erat exigendi a Domino beneficii conceſſionem (*e*). Itaque non ex proprietate in corpus, qualis in homine proprio conſpicitur, ſed ex *iure domini pactitio* in perſonam patris et matris ius illud in liberos miniſterialium proficiſcitur; idque vi eiusdem conuentionis hereditarium fuit.

§. VI.

Miniſteria feminae miniſterialis.

Natales feminae miniſterialis vidimus. Difficilior viſio eſt, quae fuerint feminarum noſtrarum *miniſteria*: de quibus nonnihil ſaltem ex antiquitatis monumentis deli-

(*e*) Itaque et miniſteriali quaedam iura competunt in dominum, in iisque, prout ferebat obſeruantia, ius exigendi beneficii et miniſterii conceſſionem: liquidem totus ille *nexus miniſterialitatis* eſt complexus iurium et obligationum perſonalium inter dominum et miniſterialem, miniſterii et beneficii praeſtationem concernentium. In iuſtitia miniſterialium Eccleſiae Bambergenſis apud ECCARDVM *ſcript. rer. germ. tom.* 2. *p.* 102. haec eorum iura referuntur. *Si beneficium non habuerit ab Epiſcopo, et repraeſentauerit ſe in eius miniſterio, et beneficium non poterit obtinere: cui vult, militet, non beneficiarius, ſed libere.*

delibare iuuabit. I. Principio *ſpecialia miniſteria*, maxime aulae officia, virilem curam exegiſſe videntur. In his vel omnino negata, vel tantum in ſubſidium, *deficientibus maribus*, admiſſa eſt feminarum in miniſteria iisque adiuncta beneficia ſucceſſio. Sententia quidem HENRICI VI. (*a*), qua a. 1230. definiuit, *quod nulla virgo vel mulier in vllo quatuor officiatorum principalium, ſcilicet dapiferi, Pincernae, Camerarii, Marſchalli ratione hereditatis fratri ſuo ſuccedere poſſit*, rem non omnino conficit, cum ad ſucceſſionem *ſororis miniſterialis* pertinere videatur. De ſucceſſione *filiae* in miniſterio nihil definit. Admiſſa ad illam eſt filia, *deficientibus maribus* *b*), ita vtplurimum, vt miniſteria, quae virum

(*a*) In FRID. ERN. KETTNERI *Antiquit. Quedlinb.* p. 219.

(*b*) Inſignis eſt conſtitutio Friderici II. Imp. pro Stiriae miniſterialibus de a. 1237. apud LVNIGIVM *Part. ſpec. arch. Cont. I. Fortſ.* 4. *Abſ.* 4. *Vol. VI.* p. 142. *Sancimus, vt filiae in bonis patris ſuccedant, eis herede carentibus maſculino, per quas memoria patrum in filiis propagatur.* In regiſtro Prumienſi apud

virum deſiderant, praeſtiterit per *ſubſtitutos* et *vicarios maſculos* (*c*). Sed praeter officia iſta ſpecialia, II. ſolennia fuerunt *honoraria miniſteria*, quoties dignitas et honor dominorum expoſceret officia honoris et reuerentiae, in *aula*, in *comitatu* in *feſtiuis* nuptiarum, itinerum, torneamentorum aliisue *ſolemnitatibus* in gratiam dominorum a miniſterialibus obeunda, quae nomine *der Hof-farth*, *der Ehren-Faellen*, *der Ehren-zugen* deſignantur (*d*). Veriſimillimum eſt, in miniſteriis honorificis, quae ſexum decent, non minus occupatas fuiſſe *feminas miniſteriales*, maxime in gratiam illuſtris matronae, domino

pud HONTHEIMIVM *l. c. tom. I. p.* 668. haec notantur: *ſi aliquis miniſterialis eccleſiae obierit, et non filium ſed filiam de familia eccleſiae ſuperſtitem reliquerit; Dn. Abbas de bona et pia conſuetudine poteſt eam de feodo patris ſui infeodare.*

(*c*) Exempla exhibet CHRIST. GOTTL. BVDER diſſ. *de feudis official. hereditar. Prou. Germ.* §. 10.

(*d*) De his egregie commentatus eſt IO. GE. CRAMERVS *de iure Princip. Germ. ſeruitia aulica a vaſallis exigendi* §. 4. ſ.

mino nuptae; easdemque in *matronarum comitatu* et conſuetudine fuiſſe (*e*), nec non officia *in aula* eiusque *ſolennitatibus* praeſtitiſſe. In deſcriptione *torneamentorum*, ab OTTONE Duce Brunſuicenſi et Luneburgenſi *Gottingae* magno apparatu a. 1376. celebratorum, refertur feſtiuus feminarum nobilium comitatus, ita depictus (*f*): *Et fuerunt hic multe mulieres, valde, valde, valde pulchre, purpureis indute veſtibus et cingulis precinɛ̃te ſonantibus ſchur, ſchur, ſchur, kling, kling, kling, et in poſterioribus ſatis ample.* Saltem miniſteriales maritos ſecum in aulam adduxiſſe feminas, hisque ibi praeſentibus factam eſſe beneficiorum ſtipendiorumque largitionem, exemplo docemur, quod occurrit

(*e*) In deſcriptione nuptiarum *Iohannis Friderici*, Sax. Ducis, cum *Sibylla*, filia Ioannis Cliuiae Ducis, recenſentur *an Graeflichen und Adelichen Frauenzimmer in die* 300 *Perſonen*, apud MVLLERVM in *annalibus Saxonicis ad a.* 1527. *p.* 81.

(*f*) Ex libro antiquiſſimo refertur in *der Zeit- und Geſchicht-Beſchreibung der Stadt Göttingen Part. I. lib. I. c. 1. §. 5. p.* 28.

rit in ſaepe excitata charta Conradi comitis Luxemburgenſis, Aduocati abbatiae S. Maximini, de anno 1135. (g), in qua ſtipendia earum in ſolenni die feſto ita definiuntur. *Miniſterialis, ſi cum vxore ſua venerit, duodecim panes, ſex ſextaria vini, ouem vnam recipiet; ſi autem ſine vxore venerit, cum abbate ipſe - - - comedet.* Accedit, quod miniſteriales ſollicite cauerint nonnumquam, ne filiae eorum ad officia, ſexui nimis grauia, vocarentur. In diplomate anni 1029. (h), quo *Conrado II.* in numerum miniſterialium Imperii traditi ab eoque recepti erant ingenui multi, etiam hoc ſupplices rogauerant miniſteriales: *Denique pro filiabus noſtris petimus, ne vnquam cogantur in ſeruitium pediſſequarum, excepta Italica expeditione.* Itaque filias eorumdem ſaltim expeditioni Italicae, ceu pediſſequas, interfuiſſe apparet;

(g) Apud HONTHEIMIVM *l. c. tom. I. p.* 528.

(h) Quod habet ECCARDVS l. c. *tom. II. p.* 110. *et* FALCKENSTEIN *l. c. N.* XII. *p.* 25.

paret; ex eoque easdem ad alia miniſteria, ſexui non adeo onerofa, vocatas eſſe, colligitur. Denique III. nec a veriſimilitudine alienum eſt, *ſpeciales functionum aulicarum partes*, filiabus feminisque miniſterialium concreditas eſſe. Saltem miniſteriorum palatinorum ambitum ampliſſimum, et ad eorumdem functionem plures ex *vtroque ſexu* vocatos eſſe, vel vno exemplo intelligitur traditionis, in charta anni 1230 expoſitae (*i*): *Hi ſunt homines militaris conditionis, quos Otto Comes de Botteloben et vxor ſua Adelheydis coniuncta manu dederunt Eccleſiae Herbipolenſi proprietatis iure perpetuo poſſidendos. Hartman et Pueri ſui et* duae ſorores *eiusdem cum pueris ſuis, Albertus, Conradus Theodoricus Fratres*, tres ſorores *eorumdem, Volmundis* vxor *Trumphonis*, Mechildis vxor *Gerlaci, quae omnes dicuntur* ab Habechsberg; *Thegeno* dapifer *et* vxor *eius et pueri praeter* vxorem *Waltmanni, Hermannus Rubetzagel*

(*i*) Apud IO. FRID. SCHANNATVM in *Vindemiis literar. collect. 2. n. XV. p.* 121.

zagel Wortminus fratres eius. Henricus Momolin. Wolframus de Oſtein, Pincerna, Kunigundis de Weſtheim vxor Seifridi de Werna et Pueri ſui. Albertus *de Bercha* et medietas puerorum; *Carl et Friedrich fratres* et duo ſorores eiusdem Alberti de Bercha. *Pueri Adelheidis de Strouve, et pueri Alliganta de Strouve.* Pueri et vxor *Herolti de Northeim.* Vxor *Gotſchalci de Northeim.* Vxor *Goteſridi de Lengsfeld et tres fratres eiusdem.* Vxor *Friderici de Boſeuvins.* Mater *Seifridi de Eſchenbach, Otto, Henricus, Seifridus de Eſchenbach.* Mater *Lamberti et fratrum eius. Gepa de Dypach. Bertoldus de Buchelberg et* pueri. *Berto de Ertal et* vxor. *Albertus de Obersfeld. Albertus de Hemelin et* vxor. Vxor *Helmeboldi de Steingerwald. Pueri Helmeboldi de Gerbrechts-Winiden. Witigo de Nuenhoven.* Herman *de Stetahen et* ſoror. Vxor *Wolframi de Ebenhauſen.* Rilindis *de Eſchenbach.* Riza de Hohheim et Pueri eorum. *Hi omnes maſculi et* feminae *ſunt ad ſeruitium Herbipolenſis eccleſiae* IN MARESCHALCI OFFICIO *depu-*

deputati. Ampliorem numerum miniſterialium vtriusque ſexus, *ingenuorum*, omnium, adſcriptorumque ad *officia aulica* vix legere memini. Tandem IV. etiamſi animum ab ipſis feminarum officiis reuocemus, alia tamen, nexum miniſterialitatis in feminis ſeruandi, ratio interuenit, quod intereſſet dominorum, habere *virginum miniſterialium familiam*, ex qua vxores ſibi quaererent eorundem miniſteriales, vt ſic iura domini in poſteritate miniſterialium ſeruarentur. Inde ab aliis dominis feminas miniſteriales permutationis vel alio titulo requiſitas legimus, vt eſſent domino propriae feminae, quas ducerent eius miniſteriales.

§. VII.

Ius domini in feminam miniſterialem.

Ceterum ius domini in feminam miniſterialem *proprietatis* nomine exprimi ſolet, vt in charta antea excitata; hoc videlicet ſignificatu, quo ius qualecunque, nobis ſolis acquiſitum, ad proprietatem

noſtram refertur. Huius iuris conſequens erat, vt dominus pro libera de *iure ſuo* diſponendi facultate, *ius ſuum in miniſterialem* potuerit in alium transferre. Ita vero dominus miniſterialem proprie non alienabat, ſed *ius ſuum* in eundem, ex nexu miniſterialitatis acquiſitum, alteri cedebat (*a*), perinde vt dominus *vaſallos ſubditosque* ceſſione iurium ſuorum in eosdem non proprie dicitur alienare; quamquam *ſermonis compendio* vaſalli, ſubditi, miniſterialesue *dari*, *donari*, *permutari* dicantur. Eiusmodi ceſſio iurium domini in feminam miniſterialem ſignificanter exprimitur in diplomate RICHARDI de|a. 1263

(*a*) Quod illuſtrat formula, *dare in miniſteriales*, vt in charta de a. 1322. qua Rudolphus Dux Saxoniae Matrem duosque pueros donat Anhaltino, in BECMANNI *hiſtoria Anhalt. tom. III. p.* 166. *honeſtam Dominam*, *Dnam Elizabeth et eius Pueros de ſe procreatos*, *vxorem et pueros validi Militis Henrici dicti de Hove inclito Principi Bernardo, illuſtri Comiti de Anhalt*, *noſtro fratri Kariſſimo*, *dedimus et in praeſentibus damus in Miniſteriales ſiue in Miniſterialium loco habendos.*

1263 (*b*), quo Rex Odam, Miniſterialem imperii, ab obſequio miniſteriali erga ſe et imperium liberat, ſuaque et imperii iura in eandem, in eccleſiam Treuirenſem transfert. *Volentes eccleſiam Treuirenſem ſpeciali gratia proſequi et favore, dilectam nobis in Chriſto* ODAM *filiam Conradi de Schonecke militis, dilecti fidelis noſtri, vxorem nobilis viri Werneri de Trys, Miniſterialem noſtram, cum omni ſua poſteritate ab obſequiis miniſterialibus, ad quae nobis et ſacro tenebatur imperio, abſoluentes, dicte eccleſie Treuirenſi et beato Petro eamdem cum omni iure, quod nos et imperium habebamus in eadem, et in ſua poſteritate habere poteramus, liberalitate regia donamus et concedimus, ab eadem eccleſia perpetuo pacifice poſſidendam; ita quod dicta Oda cum ſuis poſteris dicte eccleſie Treuirenſi ad inſtar aliorum ſuorum miniſterialium ſit adſtricta.* Quod domini alienas miniſteriales ſibi ce-

di

(*b*) Quod inter alia antiquitatis monumenta publici iuris fecit GE. CHRIST. GEBAVERVS in *Vita Richardi p.* 391.

di curauerint, eius rei vel haec praecipua ratio interuenit, quod easdem ſibi obnoxias eſſe cuperent, ſi a miniſterialibus ſuis in matrimonium expeterentur; ne liberi ex iisdem nati dominum extraneum *matris* ſequerentur. In exemplo propoſito haec ratio manifeſta eſt. Cum enim Wernerus de Trys, Burggrauius et *Miniſterialis Treuirenſis* (c), Odam, *miniſterialem imperii* duxiſſet vxorem: intererat eccleſiae Treuirenſis, Odam fieri miniſterialem *Treuirenſem*, vt *proles* ex ea nata in obſequio *eccleſiae* eſſet, quae alioquin in *nexu imperii* futura fuiſſet. Vnde Richardus hanc gratiam eccleſiae indulgens, omne ius cedit, quod ipſe et imperium habuerat in Oda miniſteriali, et quod *in ipſius poſteritate* habere potuiſſet. Eodem conſilio mutuae ceſſiones feminarum miniſterialium inter earundem dominos *permutationis titulo* factae ſunt; eoque modo non tantum miniſteriales feminae pro-

(c) Hunc Treuirenſis eccleſiae miniſterialem fuiſſe, conſtat ex charta de a. 1277. apud HONTHEIMIVM *l. c. tom. I. p.* 804.

procerum imperii inter ſe, ſed et hae cum *miniſterialibus matronis imperii* permutatae ſunt. Quamquam enim obſeruantia inualuerit (*d*), ne imperator poſſet miniſteriales imperii, *his inuitis*, nexui miniſterialitatis Statuum imperii ſubiicere, quod talis ceſſio dignationem eorundem minuere cenſeretur: id tamen fieri poterat, *conſentiente* miniſteriali. In ſuperiori exemplo de conſenſu Odae, Miniſterialis Impe-

(*d*) De qua teſtatur Ius Prou. Saxon. lib. I. c. 46. n. 2. *Das der König ſeine Dienſtmanne in der Laien Fürſten Gewalt nicht geben, noch ihre Schild niedrigen könne, weil ſie des Reichs Dienſtmanne waren. Miniſteriales Imp.* in maiori dignatione fuiſſe ac *miniſteriales Procerum imp. aliorumque*, vel ex eo intelligitur, quod hi illis ſubinde *exaequari* ſint ſpeciali Imperatorum conceſſione. Talem conceſſionem LOTHARIVS *Imp.* a. 1035. fecit *miniſterialibus eccleſiae Wildeſhuſanae*, qua et olim fruiti ſunt miniſteriales *Luneburgici*. vid. *Origin. Guelf. tom. II. n.* 69. p. 511. Similis conceſſio a CONRADO III. facta eſt *miniſterialibus abbatiae S. Michaelis Luneb.* apud KRESSIVM de *Hageſtolziatu* p. 49. nec non *miniſterialibus eccleſiae Friſingenſis* a. 1140. in HVNDII *Metropoli Salisburg.* tom. I. p. 157.

Imperii ne dubitare quidem licet, cum et ipſius intereſſet, liberos ipſius ad burggrauionatus miniſterium adſpirare, quo fungebatur ipſius maritus. Subiungimus aliud exemplum, quo interueniente expreſſo maritorum conſenſu vxores *miniſteriales imperii* et *Procerum* permutatae ſunt. WILHELMVS Romanorum Rex in diplomate a. 1253. ſignificat (*e*): *quod quaedam inter nos ex vna et Nobiles viros dilectos Principes noſtros, Johannem videlicet et Ottonem, Marchiones Brandenburgenſes ex altera parte, perſonarum eſt variatio ordinata. Habuimus enim quandam perſonam femineam Vdam nomine, vxorem videlicet Rychardi de Therewiſt, nobis et imperio attinentem, quam dictis principibus* ex conſenſu praedicti Rychardi, *pro alia perſona feminea, Grita nomine, vxore ſcilicet Heydenrici de Hertbeck, ipſis Marchionibus attinente, in concambio dedimus.* Si quid dandum eſt coniecturae, Richardus de The-

(*e*) *Apud* IO. PETR. de LVDEWIG *reliq. med. aeui tom. II. p.* 248.

Therewiſt ſeu de Zerbſt *miniſterialis Marchionum Brandenburgenſium*, et Heydenricus de Hertbeck *miniſterialis imperii* fuiſſe videtur. Vt itaque vtriusque vxores, quarum prior imperio, altera vero Marchionibus hactenus obnoxia fuerat, eundem cum marito Dominum agnoſcerent, haec *vxorum miniſterialium permutatio* interuenit. Ceterum feminae miniſteriales non modo vt ſingulae, aliis ceſſae ſunt, verum etiam, *alienato territorio*, feminae, in nexu miniſterii erga illud conſiſtentes, vna cum eodem in alios translatae ſunt, perinde vti *vaſalli*, in nexu vaſallagii erga prouinciam ſubſiſtentes, vna cum illa alienantur. Legi meretur venditionis formula *Sigfridi*, Comitis de Oſterborch de a. 1236 (*f*). *Domino meo* OTTONI, *Duci de Brunswic*, *vendidi et aſſignaui omnem proprietatem meam et miniſteriales, tam feminas quam maſculos, quos habui in Comitia ſtadenſi manentes: item totam proprietatem cum omni-*

(*f*) In *Originib. Guelficis tom. IV. n.* 52. *p.* 145.

omnibus miniſterialibus inter Saltwedele, Brome et Gardelege conſtitutis, et omnes miniſteriales meos a Tſelle vsque Bremam iuxta Alleram et Weſeram in vtroque littore demorantes, Peracta venditione idem *Sigfridus* per *chartam de* 1236 (g) mandatum dedit ad dictos *miniſteriales*, *tam feminas quam maſculos* vt *Ottoni* Duci fidelitatis homagium praeſtarent. Conradum, dynaſtam de Winsberg, eccleſiae Fuldenſi anno 1320. in feudum obtuliſſe legimus (h), villam Hartshauſen et vna cum *illa honeſtas viduas*, *videlicet relictam quondam Conradi dicti Caplan et Agnetem relictam quondam Geroldi de Gemmingen militum cum ſuis liberis et heredibus vtriusque ſexus*, *quae hactenus* titulo proprietatis poſſediſſe dicitur.

§. VIII.

Dimiſſio feminae ex nexu miniſterii.

Quemadmodum dominus ius in miniſterialem transferre in alios, ita eodem prorſus

(g) In *Orig. Guelf. l. c. n.* 54. *p.* 147.

(h) In charta de a. 1320. apud LVDEWIGIVM *l. c. tom. II. p.* 267.

prorſus cedere, feminamque miniſterialem ex *ſuo nexu dimittere* potuit (*a*). Qua dimiſſione femina miniſterialis non tam ingenuitatem, quam amiſerat numquam, ſed *libertatem a miniſterii nexu* conſequebatur. Fiebat ergo ingenua *libera*, vt fere dicere ſolemus *adelich frey*, quae hactenus fuerat ingenua *miniſterialis*. Hoc ſenſu liberi, a nexu miniſterii immunes, a miniſterialibus diſtinguuntur ſaepiſſime. Quod vero non minus nexum miniſterialem cum *ſeruitute*, quam liberationem ab hoc nexu, cum *manumiſſione* comparauerint, qui ſtilum Romanum accommodarunt Germaniae inſtitutis, hoc tribuendum eſt ſtilo et mori veterum; cum *haec* magis *dimiſſionem miniſtri ſeu officialis ab obligatione officiorum erga dominum* imitari videatur. Et femi-

(*a*) *Ius feud. Alem. cap.* 54. Ceterum cum multiplex ſignificatus vocis, *miniſterialis*, ſubinde difficultatem parit in doctrina de miniſterialibus; tum cauendum, ne ad exempla *ingenuarum, ex nexu miniſterii dimiſſarum*, referantur manumiſſiones ancillarum *propriarum*, quae nonnumquam *miniſteriales* vocantur.

ſeminae tum praeſertim, quando connubii cum ingenuo libero ineundi occaſio ferebat, a miniſteriali nexu liberari prouidi cupiebant, ne proles ex huiusmodi matrimonio ſuſcepta, matris miniſterialis conditionem ſequeretur.

APPENDIX DOCVMENTORVM *donationem et permutationem feminae miniſterialis illuſtrantium.*

I. *Otto IV. Imp. commutationem miniſterialium cum Sigfrido epiſcopo Hildenſemenſi inſtituit a. 1218. tom. III. Origin. Guelfic. n. 328. p. 828.*

Dei gratia Otto quartus Romanorum imperator et ſemper auguſtus. Notum facimus vniuerſis tam preſentibus quam futuris, quod nos *vxorem Siffridi de Borſem*, filiam videlicet Ludolffi de Saldere, cum omnibus *filiis* ſuis et *filiabus*, et *vxorem Conradi marſcalci*, filiam Ludolfi quondam aduocati de Dalhem, cum filio, quem modo habet, conceſſimus et dedimus in commutacionem Sifrido, Hildenſemenſi

ſemenſi epiſcopo et eccleſie eiusdem loci pro *Eggeberto*, Gundelini *Imperialis aulae dapiferi* primogenito: *proximus autem filius, quem prefata vxor Conradi Marſchalci deo dante eſt habitura, noſtro perpetualiter pertinebit dominio.* Et vt hec noſtra ordinacio rata ſit et intemerata permaneat, preſentem cartam bulle noſtre impreſſione iuſſimus communiri. Acta ſunt hec anno incarnacionis Dominice M. CC. XVIII. anno regni noſtri XX. imperii autem IX. Datum Brunſwich XVIII. Kal. Februariii.

II. *Comites de Euerſtein donant feminam miniſterialem cum liberis eccleſie Hildenſ. a. 1224.*

Conradus dei gratia, *Henricus* et *Otto* comites de *Euerſtein* vniuerſis hoc ſcriptum viſuris Chriſti fidelibus notum eſſe volumus et conſtare, quod nos cum fratribus noſtris *ius, quod nobis addiximus et habuimus* in Yſengardim, *vxorem* Guttefridi Wuſtorp, et *filiis eius*, in manus Domini Conradi venerabilis Hildenſemenſis epiſcopi, ad honorem dei et beate Marie virginis reſignauimus, et contulimus eccleſie

cleſie Hildenſem. *iure miniſterialium* perpetuo ſerituros. Inſuper ego Conradus, fide data in manus Hugonis de Inſula, et Alexandri aduocati, in preſencia iam dicti Epiſcopi, promiſi, ſigillum fratris mei, prepoſiti Ottonis et aſſenſum aliorum fratrum meorum ſuper hoc ſupradictis Conrado Yſengardi et filiis eorundem quantocius obtineri. Teſtes autem, qui hoc facto interfuerunt, ſunt hi. Hugo ſupra dictus de Inſula, Henricus aduocatus Epiſcopi, Alexander dictus aduocatus. Volcmarus et filius eius, et quam plures alii fide digni, vt in littera ſigillata adapparet. Actum anno Domini M. CC. XXIIII. Pridie Nonas Nouembris, in caminata prepoſiti de Sulta iuxta Hildenſem. Vt autem hec firma maneant et illibata, et ne aliquorum inuidia vel malicia infirmari poſſinr inpoſterum vel infringi, hanc cedulam conſcribi fecimus, et ſigillis noſtris in facti noſtri teſtimonium communiri.

III. Li-

III. *Litera Conradi e nobilibus de Depholte, Epiſcopi Mindenſis, ſuper concambio duarum Miniſterialium mulierum.*

a. 1226.

Conradus dei gratia Mindenſis Epiſcopus vniuerſis preſentem paginam inſpecturis ſalutem in Domino. Ne preſentis etatis negocia conſumat obliuio, literarum ſolent indicio eternari. Notum igitur fit omnibus, tam preſentibus quam futuris, quod pro *Alheide vxore Hildebrandi de Runnenberch, miniſterialis noſtri*, que *antequam cum ipſo matrimonium contraheret*, ad Hildenſemenſem pertinebat eccleſiam, dedimus *Gislam filiam Diderici de Rode*, que tum temporis ad noſtram pertinebat eccleſiam, tam *de ipſarum mulierum*, quam eciam omnium, quorum intererat, voluntate. In cuius rei noticiam preſentem paginam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Teſtes Albertus de Eckeſſem. Engelbertus Saxo. *Bernhardus de Ripen.* Bernhardus de Hozenbere. Lambertus et Robertus fratres. Hildebrandus Wange, Olricus de Lenten. Bertrammus de Bodenborch. Bertrammus Swakedov. Con-

Conradus Scratinbach. Wulframmus et filius ſuus Arnoldus, et alii quam plures.

IV. *Litera Bertae Abbatiſſae de Ganderſhem ſuper concambio aliquorum miniſterialium.*

Berta dei gratia Gandershemenſis eccleſie abbatiſſa omnibus ſcripti preſentis inſpectoribus ſalutem in auctore ſalutis. Cum neceſſe ſit, vt ea, quorum memoriam expedit retineri, literarum teſtimonio commendentur, innoteſcere cupimus, tam preſentibus quam futuris, quod nos *Fredericum et Eilardum, Iohannis de Heſethe filios*, eccleſie noſtre *miniſteriales*, domino epiſcopo et eccleſie Hildenſemenſi donauimus; *Lefgardam de Rethem, vxorem Manegoldi de Bruckem* in concambium recipiendo. Et vt contractus huiusmodi ratus ſemper maneat et inconuulſus, preſentem paginam, in veritatis teſtimonium conſcriptam, ſigilli noſtri duximus munimine roborandam. Actum anno Domini M. CC. XXVI. Indiccione XIIII.

V. *Alia*

V. *Alia eiuſdem ſuper permutatione feminarum miniſterialium cum liberis,* *anno* 1226.

Berta dei gratia Ganderſemenſis eccleſie abbatiſſa omnibus ſcripti preſentis inſpectoribus ſalutem in auctore ſalutis. Notum eſſe cupimus vniuerſitati veſtre, quod nos *Iohannam, ſororem Henrici et Hermanni de Brucken, et tres eius pueros, eccleſie noſtre miniſteriales,* venerabili Domino C. epiſcopo et eccleſie Hildenſemenſi donauimus, ab omni iure, quo nobis et eccleſie noſtre tenebantur, abſolutos; *Aleidim vxorem Manegoldi de Brucken et tres earundem filios*, in concambium recipientes. Et vt huius commutacionis ordinacio rata ſemper maneat et inconuulſa, preſentem literam in veritatis teſtimonium conſcriptam ſigilli noſtri duximus munimine roborandam. Teſtes: Burcardus Camerarius, Eilardus, Albero, Giſelbertus, Ropertus, Henricus et Ghearrdus fratres de Curia, et alii quam plures eccleſie noſtre *miniſteriales.* Actum anno Domini M. CC. XXVI. Indiccione XIIII.

VI. *Miſ-*

VI. *Miſſiua Comitis de Aldenberg, qua donatur filius miniſterialis, a.* 1227.

Venerabili ac Reuerendo dno C. Hildenſemenſis Eccleſie Epiſcopo totique eiusdem eccleſie capitulo H. dei gracia *Comes de Aldenberg* paratum in omnibus ſue poſſibilitatis obſequium. Nouerit veſtra diſcrecio, quod nos, ob reuerenciam beate Dei genitricis Marie, *Henricum*, filium *Domini Bertoldi de Billenhem*, eccleſie veſtre contulimus libere et abſolutę: ad cuius rei probacionem hanc literam ſigilli noſtri munimine roboratam veſtre transmittimus Karitati.

VII. *Concambium duorum hominum miniſterialium Abbatiſſe Ganderſ hem. et Conradi epiſcopi Hildenſ. de a.* 1230.

Venerabili et in Chriſto dilecto dno Conrado Hildeſemenſis eccleſie Epiſcopo Berta Dei gratia Ganderſemenſis eccleſie abbatiſſa oraciones et voluntarium in omnibus obſequium. *Adelindam* de *Bantelem* et Bertoldum *filium eius*, eccleſie noſtre pertinentes, vobis et eccleſie Hildeſemenſi contradimus, *ab omni iure,*

quo

quo nobis et *ecclesie noſtre tenebantur*, penitus abſolutos, *Adelheidam* et *Iohannam filiam* de *Weteborne*, veſtre attinentes eccleſie, in concambium recipiendo. Et ut hec commutacio rata ſemper maneat et inconuulſa, preſentem paginam in veritatis teſtimonium conſcriptam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Teſtes, Burchardus Camerarius. Giſelbertus *vicedapifer*, Iohannes, Henricus et Gherardus fratres de Curia, et alii plures eccleſie noſtre *miniſteriales*.

VIII. *Henricus Dux Saxoniae epiſcopo Hildeſ. donat miniſterialem feminam a. 1226.*

Dilecto domno et amico ſuo, venerabili dno Conrado Hildenſemenſis eccleſie Epiſcopo. Henricus Dei gracia Dux Saxon. et comes Palatinus Rheni ſinceram et debitam cum obſequio dileccionem. Reuerencie veſtre notum facimus, quod nos *Iutham*, *filiam Henrici et Helemburgis de Hamelen*, *noſtram miniſterialem*, cum omni iure, quod in ipſa habuimus, vobis et eccleſie veſtre dimittimus, ſub tali condicione,

dicione, vt *ceteri pueri eorundem feoda ſua a vobis et eccleſia veſtra percipiant.*

IX. *Miſſiua O. de Brunſuic ad C. ep. Hildenſ. de miniſterialium permutatione, a.* 1230.

Venerabili dmno amico ſuo Hildenſemenſis eccleſie epiſcopo Dei gratia O. *dux de Brunswik* paratum et voluntarium in omnibus obſequium. Diſcrecioni noſtre preſentibus innoteſcat, quod nos *miniſterialem* noſtrum, *Bodonem* nomine, filium Olrici de *Saldere*, eccleſie veſtre aſſignauimus et dedimus; loco illius *Racen*, filium Domini *Racen de Vtteſem*, recipientes, qui eccleſie veſtre antea pertinebat.

X. *Abbas Corbeienſis a.* 1239. *feminam miniſterialem cum pueris eccleſiae Hildesh. in concambium dat pro miniſteriali milite.*

Henricus dei gracia *Corbeienſis* abbas vniuerſis fidelibus, ad quos preſens ſcriptum peruenerit, ſalutem in Domino. Notum eſſe cupimus, quod nos *Mechtildem, vxorem Egberti*

berti Spaden et *pueros eius*, *Henricum et Elizabeth*, damus eccleſie Hildenſemenſi, in concambium, recipientes, loco eorum, *Luderum militem* de *Lobbike:* et hoc preſenti ſcripto manifeſte proteſtamur. Datum *Corbeie* XI. Kalendas Aprilis prelacionis noſtre anno ſexto decimo, anno vero gracie M. CC. XXXIX.

XI. *Alia ſimilis miniſterialium permutatio ab eccleſia Gandersheimenſi facta*, *a.* 1230.

Venerabili et dilecto in Chriſto domino C. Hildenſemenſi Epiſcopo. Berta dei gracia Ghanderſemenſis eccleſie abbatiſſa oraciones deuotas et voluntarium in omnibus obſequium. *Iuttam*, vxorem Ludolffi de *Wackerwinkele*, noſtre *miniſterialem* eccleſie, vobis et eccleſie Hildenſemenſi contradimus; *Mechtildam*, vxorem Gherardi de *Curia*, in concambium recipiendo. Et vt hoc noſtrum factum ratum ſemper maneat et inconuulſum, preſentem cartam, in veritatis teſtimonium conſcriptam, ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Teſtes: Burcardus Camerarius, Giſelbertus *vicedapifer*, Iohannes et Henricus

fratres *de Curia*, et alii quam plures eccleſie noſtre miniſteriales.

XII. *Ottonis ducis commutatio Miniſterialium de a.* 1240.

Dilecto Domno et amico ſuo Domno C. Reuerendo Hildenſemenſis eccleſie Epiſcopo Dei gratia OTTO dux de Brunswik paratum cum ſincera dilectione ſeruicium. Significamus dilectioni veſtre, quod nos filium Bertoldi *militis* de *Holle*, *miniſterialem noſtrum*, vobis et eccleſie veſtre damus, recipientes per commutacionem quandam nomine *Luthardim vxorem Henric Gogreuen*, vt eo iure, quo vobis et eccleſie tenebatur, nobis perpetuo ſit aſtricta.

XIII. *Litera Ottonis ducis in Brunſwich ſuper permutatione quorumdam miniſterialium, de anno* 1243.

Dei gratia Otto dux de Brunſwik. Notum eſſe volumus vniuerſis, quibus hoc ſcriptum fuerit preſentatum, quod nos *miniſterialem noſtram filiam Domini Henrici parui de Hamelen*,

melen, *Helenburgim* nomine, dedimus et aſſignauimus eccleſie Hildenſemenſi, vt ea condicione et iure, ſicut preſens nos reſpiciebat, deinceps pertineat eccleſie memorate, loco eius in quadam commutacione recipientes *duos filios Domini Ludolfi de Bornem*, vt nobis pertineant, *fidelitatem debitam nobis*, *ſicut miniſteriales noſtri alii*, *facientes*. Datum anno Domini M. CC. Quadrageſimo tercio.

XIV. *Abbatis Corbeienſis miniſterialium commutatio de a.* 1254.

Venerabili domino Hildeſemenſi Epiſcopo H. Dei gratia Corbeienſis abbas ſalutem et obſequioſam ad beneplacita voluntatem. Tenore preſencium proteſtamur, quod nos *Borchardum*, filium Alheidis ſororis Gerlagi de Huldeshem, *miniſterialem noſtrum*, vobis et eccleſie veſtre in concambio damus, *abſoluentes eum ab omni iure et fidelitate*, *quo nobis attenus fuerat obligatus*, ita tamen, quod loco ſuo *Thidericum* filium ipſius Gerlagi, *miniſterialem veſtrum*, cum eo *iure*, *quo vobis eſt aſtrictus*, recipiemus in *miniſterialem ec-*

cleſie Corbeienſis. Quod vt ratum permaneat vtrinque, preſentem literam in rei teſtimonium vobis damus, ſigilli noſtri appenſione firmatam. Datum et actum anno domini M. CC. LIIII. preſentibus Lothowico comite de Euerſtein, Arnoldo de Porta et aliis quam pluribus.

XV. *Comitis de Arnsberg commutatio miniſterialium* de a. 1255.

Godefridus Comes de Arnisberg vniuerſis ad quos preſens ſcriptum peruenerit, eternam in domino ſalutem. Nouerint vniuerſi tam preſentes quam futuri, quod nos, de conſenſu heredum noſtrorum, *perſonarum transmutacionem* facientes, Ghertrudim, *filiam Hermanni de Giſe*, venerabili domino Epiſcopo et eccleſie Hildenſemenſi dedimus *in miniſterialem*, Alheidim, *filiam* Ruberti *militis de Heſnem* recipientes pro eadem. Datum in die beati Iacobi apoſtoli anno Domini M. CC. L. V.

XVI. *Ludolfus Comes de Aldenburg feminam miniſterialem commutat cum Henrico Comite Hoyenſi* a. 1259.

Ludolfus Comes in Aldenborg. Omnibus in perpetuum. Nouerint vniuerſi, quod nos *Hildegundim, vxorem dni Heinrici de Buin* cum *pueris eius omnibus*, excepto filio Nicolai bone memorie Iohanne, Henrico Comiti de Hoya reſignamus in commutacionem pro *Erenburgi, vxore Geroldi de Holtdorpe, filia Hoyeri de Vortbende cum omnibus pueris eius*. Et hoc preſentibus proteſtamur. Datum in Steigerberge anno dni cIↄ. cc. l. nono. Preſentes erant Nobilis F. de Grimmenberge. Tid. et Rodolfus fratres Clenkoc. Arnoldus Kurlehake. Wezzelus de Gaſtorpe. Henricus Slihting. Volequinus de Berſne. Heinricus de Waneberge. milites. Woltherus de Haſberge. Albertus Graſegel et alii quam plures. Actum in Verda. Quarto Kal. Maii, in die Vitalis martyris.

XVII.

XVII. *Henricus Comes de Hoya commutat cum ſocero ſuo, Henrico Comite de Aldenburg, filiam Arnoldi de Noua Terra, quam dat Bremenſi Archiepiſcopo pro Hildeburgi, vxore Arnoldi Friſonis* a. 1262.

Henricus dei gracia Comes in Hoya omnibus hoc ſcriptum viſuris in vero ſalutari ſalutem. Notum ſit tam preſentibus quam futuris, quod nos commutauimus *dominam Elizabet*, filiam domini Arnoldi de noua terra, cum *filia ſeniore domini Heinrici Clencoci*, erga *ſocerum noſtrum*, *Comitem* HEINRICVM de ALDENBORGH, et eandem *Elizabet filiam domini Arnoldi* dedimus eccleſie Bremenſi pro *domina Hildeburge*, muliere Arnoldi Friſonis *cum pueris ſuis*, *vno filio*, Iacobo nomine, excepto. Vt ergo hoc factum noſtrum nullus inpoſterum valeat reuocare, preſentem paginam ſigilli noſtri munimine roborauimus. Teſtes vero, qui aderant, ſunt. Comes Ludolfus de Aldenborgh; Dominus Gerardus de Lutten. Arnoldus de noua terra. Reinerus de Bollande. Suedherus Boch. Sechebodo de Gropelinge, milites. Iohannes de Otterſtede. Iohannes

hannes Knoke. Reinerus de Weige, Iacobus de Wolde, famuli, et alii quam plures milites et famuli. Actum in *Languedele* anno domini M. CC. LX. II. dominica proxima ante natiuitatem beate virginis.

XVIII. *Archiepiſcopi Bremenſis inſtrumentum ſuper iſta commutatione cum Henrico Comite facta de a.* 1262.

Henricus dei gracia ſancte Bremenſis eccleſie Archiepiſcopus. Omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem. Nouerint vniuerſi, quod nos commutauimus *dnam Hildeburgem, filiam dni Iacobi de Wolde*, vxorem Arnoldi Friſonis cum *pueris eiusdem*, vno filio Iacobo nomine excepto, dando eos nobili viro dno Hinrico Comiti de Hoia, recipientes nichilominus ab eodem per concambium *dnam Eliſabeth*, filiam domini Arnoldi de Nienlande. In cuius rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus roborari. Preſentes erant Comes Ludolfus de Aldenborg. Gerardus de Lutten. Arnoldus de Nienlande. Reinerus de Bollande. Swederus Boch. Segebodo de Gropelinge, milites.

lites. Iohannes de Otterſtede. Iohannes Knoke. Reinerus de Weie, Iacobus de Wolde, et alii quam plures. Datum Langwedele in dominica proxima ante natiuitatem beate Virginis, Anno domini CIↃ. CC. LX. ſecundo pontificatus noſtri Qwarto.

XIX. *Commutatio Miniſterialium feminarum a Coenobio Stederburgenſi facta cum eccleſia Hildeſem. a. 1266.*

H. dei gratia Prepoſitus et E. prioriſſa, totumque Capitulum ſanctimonialium in *Stederborch.* Omnibus preſens ſcriptum viſuris, ſalutem in omnium ſalutari. Nouerint vniuerſi preſentes ac futuri, quod nos *Mechthildym*, filiam Frederici *militis*, dicti Templarii, eccleſie noſtre *iure miniſteriali* pertinentem, dedimus domino noſtro, *Ottoni*, Hildenſemenſi Electo, et idem Electus redonauit eccleſie noſtre in concambium *Iuditam*, filiam Hildebrandi, *dicti de Bokesrodhe*, accedente conſenſu eorum vtrobique, quorum *conſenſus* ſuper talibus fuerat requirendus. In cuius rei teſtimonium preſentem literam conſcribi fecimus,

mus, quam ſigilli noſtri munimine duximus confirmandam. Datum in *Stiderborch* anno Domini M. CC. LXVI. In vigilia beati Laurencii matiris.

XX. *Traditio feminae miniſterialis ad eccleſiam Hildenſ. circa a. 1350.*

Vniuerſos preſencium inſpectores et auditores Ego *Ludolfus Comes in Halremunt* ſcire cupio veraciter et proteſtor, quod, accedente conſenſu meorum heredum, quorum conſenſus requirendus fuit in cauſa preſenti, *liberam* dimiſi Aggeneſam, filiam *Rabodonis de Bechen*, meam *miniſterialem*, *a miniſterialitate*, *qua michi tenebatur*, et eam beate Marie Virgini Hildenſemi in *miniſterialem contuli*, et eius *liberos*, cum bona mea voluntate: ſub teſtimonio Alberti et domini Hartmanni et domini Conradi, fratrum de *Lathuſen* et domini Heinrici de *Pattenhuſen*, *militum*, qui mee donacioni interſuerunt, et preſentem literam meo ſigillo ſuper eo datam tradidi roboratam.

XXI.

XXI. *Ludouicus Monaſterienſis Epiſcopus Gerhardo et Iohanni Comitibus in Hoya, pro Wilhelmo Stedingio famulo dat Fredericum de Hoſtede, eccleſiae Monaſterienſis Miniſterialem anno 1335.*

Nos *Ludewicus* dei gratia Monaſterienſis Eccleſie Epiſcopus. Vniuerſis preſencia viſuris et audituris notum facimus tenore eorundem, publice proteſtantes, quod *Fredericum filium Burchardi de Hoſtede, famulum noſtrum et eccleſie noſtre Miniſterialem*, ipſo permutacionis titulo dedimus preſentibus et damus Nobilibus viris *Gerardo* et *Iohanni*, fratribus, Comitibus de Hoye ac eorum veris heredibus *in Miniſterialem*, recipientes ab eisdem *Wilhelmum* dictum Stedinch *famulum* pari permutacione pro eodem. Dantes inſuper et concedentes dicto Wilhelmo *omne ius et omnem graciam, quibus ceteri noſtri et eccleſie noſtre Miniſteriales hactenus ſunt gauiſi.* Harum noſtrarum teſtimonio literarum noſtro ſigillo ſigillatarum in teſtimonium ſuper eo. Datum anno domini M. CCC. XXXV. ipſo die beati Viti martiris.

XXII.

XXII. *Simon de Lippia Ottoni Strenuo Duci Luneburgico dimittit Camerarii ſui Conradi de Vtzenburg liberos, iure miniſterialitatis ſibi attinentes. a. 1304.*

Nos Simon Nobilis vir Dns de Lippia. Vniuerſis et ſingulis preſentem viſuris literam et auditüris notum facimus tenore preſencium dilucide proteſtantes, quod Nos cum conſenſu heredum noſtrorum ob reſpectum ſeruitii fidelis per Conradum dictum de Vtzenburch noſtrum Camerarium ſepius nobis facti *Conradum* et *Henricum famulos* et *Hadewigim puellam*, dicti Conradi *liberos a Miniſterialitate nobis hactenus debita et conſueta quitos dimittimus et ſolutos in perpetuum* in his ſcriptis, ita quod ipſi ex nunc in antea Illuſtri Principi dno -- Duci de Luneburgh omni *iure*, quo nobis, pertineant *miniſterialitatis*. In cuius rei euidenciam et maioris roboris firmitatem preſentes literas noſtri ſigilli munimine fecimus roborari, per quod ſi neceſſe fuerit predicta futuris pateant euidenter. Actum, preſentibus Henrico, dicto Segent, Hermanno, Frederico et Henrico dictis Wenth. Richardo dicto Vhos, militibus et aliis fide dignis. Datum feria tercia ante feſtum beati Georgii Martiris anno Dni M. CCC. quarto.

OB-

OBSERVATIO VI.

de

ſucceſſione olim negata in bonis iure curiae datis ſeu in beneficiis miniſterialium.

ARGVMENTVM.

I. *Diſcrimen feudorum et beneficiorum miniſterialium ratione ſucceſſionis.*
II. *Sententia Wilhelmi R. de ſucceſſione in his negata.*
III. *Studia miniſterialium Fuldenſium intuitu ſucceſſionis.*
IV. *Eadem, vſu invaleſcente, nata ſunt feuda miniſterialium, Hofelehn.*

§. I.

Diſcrimen feudorum et bonorum iure curiae datorum intuitu ſucceſſionis.

A conceſſione bonorum feudali, quae data eſt *militiae equeſtris* vel *caſtrenſis* cauſa, ius feudale Saxonicum ſollicite diſtinguit *conceſſionem officialem*, ſecundum *ius curiae*, *nach Hofe-Recht*, factam (*a*). Videlicet

(*a*) *Ius feud. Saxon.* c. 63. conf. *Ius feud. Al.* c. 113. *Vet. Auct. de benef. cap. I.* §. 130.

delicet vocabulum *Hof* non modo aulam, palatium, domum, ſed et eo ſenſu, quo continens pro contento accipitur, eos, qui in aula et domo ſeruiunt, omnemque comitatum denotat eorum, qui in alterius officio et miniſterio conſiſtunt (*b*). Itaque *ratione officii bona largiri in beneficium*, idem fuerat, ac *iure curiae* conferre, *nach Hoferecht*, vel *iure officii*, ſeu *iure officiali*, *nach Amtrecht* (*c*). Beneficia, *iure curiae* data, ergo eadem ſunt ac *non militaria*, ob officium determinatum extra militiam praeſtandum in ſtipendium data. Ad haec non pertinet Conſtitutio *Conradi Salici*, quae de ſucceſſione in beneficiis *militum maiorum et minorum* tantum agit: indeque ſeculo XI. et ſeq. hoc *feudorum* et *beneficiorum non militarium* diſcrimen ſeruatum eſt, quod illa nec *officii* nec *ſtipendii* rationem haberent, ſed ſub *lege fideli-*

(*b*) GE. WACHTER in gloſſ. teuton. p. 739. CHRIST. GOTTL. HALTAVS *in gloſſar. Germ. p.* 938.

(*c*) Teſtimonia dedi ſupra in *obſerv. II.* §. 9. p. 84.

delitatis et *militiae agendae* data, in ſucceſſores tranſirent, haec *in ſtipendium* pro officio *non militari* conceſſa, *rationem officii* ſequerentur, nec ad filios deſcenderent, niſi eodem officio ex noua gratia diſtinctos.

§. II.

Sententia Wilhelmi R. de ſucceſſione in his negata.

In bonis iure curiae ſeu officii conceſſis miniſteriales multo quidem ſtudio, ſed non eodem vbique ſucceſſu *ius feudi* et maxime *ius ſuccedendi* affectaſſe, eius aeui exempla docent, quorum nonnulla ſupra expoſui in *obſ. IV.* §. *V.* De bonis eccleſiae, *iure curiae* datis, eadem quaeſtio mota, et ad WILHELMI Regis tribunal deducta eſt in eiusdem diplomate de a. 1253. (*a*) in eisque negata ſucceſſio. Verba ſunt: *Coram nobis pro tribunali ſedentibus ſententiatum extitit et communiter ab omnibus approbatum, quod nullus*

(*a*) Edidit illud IO. PETR. de LVDEWIG *reliq. Manuſcript. tom. XII. p.* 377.

Ius in Epiſcopali curia et Sala ac ipſarum attinentiis IVS FEVDALE, quod VOLGE *vulgariter appellatur, debet vel poteſt habere. Vnde ſub interminatione gratie noſtre diſtri-ctius inhibemus, ne quis veniens contra dictam ſententiam preſumat aſſerere, ſe in huiusmodi Curia et Sala ac ipſarum attinentiis illud ius habere. Quod ſi fecerit, grauem noſtre maieſtatis offenſam ſciat ſe incurſurum.* In *epiſcopali curia et Sala ac ipſarum attinentiis* iuri feudali, quod *Volge* in vernacula dicitur, locum haud eſſe, ibidem definitur. Vocabulum *Volge* ſucceſſionem denotat, ſenſu frequenter in iure feudali obuio (*b*), quo et latine effertur *ſequela:* vt in iure feud. Sax. lat. tit. XXXI. §. 7. *Omne feudum absque herede, caret ſequela.* Quamuis non minus pro *petitione renouationis inueſtiturae* accipiatur: hunc ſignificatum tamen ab hoc loco alienum eſſe, ex beneficiorum indole intelligitur, quae renouationem deſiderant (*c*). Nec mirum eſt, ius

(*b*) *Ius feud. Sax. art.* 28.

(*c*) Ab omni probabilitate recedit coniectura

ius ſuccedendi in diplomate Wilhelmino IVS FEVDALE κατ᾽ ἐξοχὴν vocari. Namque hoc nomine deſignari ſolet *omne ius, in feudo competens:* Vt in formula *des Lehn-Rechts darben*, vel, *nit Lehn-Recht haben*, in *Iure feud. Sax.* art. 2. et *Alem.* art. 1. §. 4. Hinc et praecipuum ius ſuccedendi in feudo competens in eminenti ſignificatu vocatur *ius feudale:* quo ſenſu occurrit in transactione inter epiſcopum Bambergenſem Ecbertum et Bernhardum Carinthiae Ducem de a. 1227. (*d*). *Ipſe Dux Caſtrum idem et eadem bona accepit in feudo ab Epiſcopo Bambergenſi taliter, vt tam filii quam filiae Ducis ipſius in eisdem bonis* IVS *habeant* FEVDALE. Ex quibus intelligitur, *ius feudale* hoc loco idem denotare, ac ius,

LVDEWIGII in *Praef. ad tom. XII. reliq. p.* 228. vocem *Volge* explicantis de praeſtatione ſeruitiorum, quaſi bona curiae epiſcopalis, *immunia* declarata ſint *a ſeruitiis equeſtribus.* Epiſcopos enim Germ. intuitu feudorum nexu ſeruitiorum equeſtrium ſolutos eſſe, hiſtoriae repugnat.

(*d*) In LVNIGII *ſpicil. Eccleſ. Cent. II. n.* 32. *p.* 30.

ius, quod vulgariter *Volge* dicitur, et vtrumque vocabulum conſpirare in eo, quod ſucceſſio negetur in beneficiis, quae dependent a curia Epiſcopali (*e*). Curia epiſcopalis *Sala* vocatur a *Sal*, *Sele*, veteribus *curiam dominicalem*, *aulam*, *palatiumque* denotante (*f*): quo ſenſu veteribus *ſalicae decimationes* dicuntur (*g*), quae ex praediis curiae, *Hof-Gutern*, in beneficium datis, penduntur domino. Bona curiae vel Salae Epiſcopalis itaque ſunt bona praelaturae, vulgo *Stiffts-Guter*, olim et *dominicalia* appellata (*h*). Nec alia

(*e*) Similis formula eſt in Miniſterio Gograuiatus in *iur. Sax. Prov.* lib. I. art. 56. *An Gograveſcop iſt mit Rechte nen Lehn noch Volge, wenn das is der Land-Lute Vreye Kore, dat ſe Gogreven keſen.*

(*f*) Vid. WACHTERI *gloſſ. p.* 1339. et HALTAVS in *gloſſ. p.* 1582.

(*g*) Harum exempla exhibet I. NIC. AB HONTHEIM l. c. tom. I. p. 288. Idem obſeruat p. 391. hodienum ſupereſſe in Archidioeceſi Treuirenſi frequentes decimas, *Sel-Zehend* dictas, inde originem ducentes.

(*h*) Ita vocantur in diplom. apud GEWOLDVM in *Hundii metrop. Salisb. tom. I. p.* 49. *et* 259.

alia intelligenda ſunt quam bona *iure Curiae* data, more iſtius aeui officialibus et miniſterialibus in beneficium conceſſa. *Feuda militaria* vel ideo accipi nequeunt, quod agatur de bonis, in quibus *ius* illud *feudale* tantum affectabant poſſeſſores. Accedit, quod in *feudis eccleſiaſticis* iam ſeculo XIII. maxime inter frequentes allodiorum in feuda oblationes *ſucceſſio feudalis* adeo firmata ſit, vt in his noua naſceretur quaeſtio, vtrum *filiae* perinde ac filii ad eorundem ſucceſſionem ſint admittendae (*i*). Alberto Regi, pro tribunali ſedenti, quaeſtio propoſita eſt a *Wicboldo*, Archiepiſcopo Colonienſi, *vtrum filia in bonis feudalibus iure hereditario ſuis parentibus ſuccedere poſſit?* ita iudicio principum a. 1299 deciſa; quod *nulla filia vel mulier poſſit in bonis feudalibus ſuccedere, niſi de plenaria voluntate domini feudi et conſenſu.*

§. III.

(*i*) Vid. diplom. in LVNIGII *ſpicil. eccl. Part. I. Cent.* p 393. et in WERN. THVMMERMVT tr. *Krumſtab ſchleuſt niemand aus*, in annex. p. 33.

§. III.

Studia miniſterialium Fuldenſium intuitu ſucceſſionis.

Similes querelae aduerſus miniſteriales *ius feudi* in bonis, *officii iure* conceſſis, ſibi vindicantes recenſentur apud CHRISTOPH. BROVWERVM (*a*) in geſtis Abbatis Fuldenſis MARQVARDI de a. 1150. Is de bonis abbatiae diſtractis conqueſtus, *quicunque,* inquit, *laicorum aliquanto tempore habet inter manus villicationem huius abbatiae, optimos exinde ſibi excepit manſos, eosque pro beneficiali iure in ſuos hereditauit filios.* Addit porro: *Erat e regione altera et multo intolerabilior miſeria. Principes diuerſarum regionum ſumebant ſibi de adiacentibus eccleſiae bonis, quantum ſibi bonum videbatur, et habebant ſibi quaſi pro beneficio, nullo eis prohibente vel contradicente - - - totius abbatis vtilitas in laicorum manu poſita fuit; et ſi quis eis contradicere vellet abbatum, ac iudiciali lege pla-*

(*a*) *Antiquitat. Fuldenſium lib. III. C. XVIII.* p. 266.

placitum faciens iuſtitiam ab eis exquirere coepiſſet, *ingenioſa et callida argumentatione iuris ſui*, LEHENRECHT *nominant*, *anguis more de manibus elapſi*, *per anfractus ſermonum ſine ſuo diſcrimine effugiebant*. Varia eſt interpretum coniectura, quid *ingenioſa* et *callida argumentatione iuris ſui*, quod *Lehenrecht* nominant, intellexerit *Marquardus*. IO. PETR. DE LVDEWIG (*b*) et IO. FRID. SCHANNATVS (*c*) appellatione, *Lehenrecht*, ius feudale *Longobardicum et Commune*, GVNDLINGIVS (*d*) et ESTOR (*e*) *librum vetuſtum de beneficiis* vel *particulare ius feudale Fuldenſe* denotari exiſtimant. Neutri aſſentior; non enim de iure feudali, quoad *collectionem morum legumque feudalium* ſignificat, ſed de iure, quod ſibi aſſerebant beneficiorum poſſeſſores, quod *ſui iuris* nomine indigitatur, de iure videlicet ſuccedendi ſermo hic

(*b*) In *Comm. ad Aur. bull. tom. II. p.* 987.

(*c*) In *Client. Fuld. cap. III. §.* 3. *p.* 46.

(*d*) In *Gundlingian. P.* 3. *obſ.* 1. *§.* 11. *p.* 209.

(*e*) In *Analect. Fuld. §.* 2. *p.* 5.

hic eſt, quo bona eccleſiae, titulo beneficii et velut ſucceſſionis iure ſibi aſſerebant poſſeſſores. Scilicet abbatibus, iſta bona vindicantibus, exceptionem *iuris beneficiarii*, in iisdem competentis, quod *Lehenrecht* nominabant, a poſſeſſoribus oppoſitam eſſe memorat, eosdem hac *callida iuris ſui argumentatione* vſos eſſe referens, quod quae vel iure officii commendata vel inter diffidationum turbas vi maiori, beneficii nexu impetrata et ad poſſeſſores deuoluta, eadem titulo *feudi* et iure ſucceſſionis tuerentur. Itaque Marquardus, conſiliorum ſuorum aduerſus illa mala rationes recenſens, *nulli*, inquit, *hominum vel miniſterialium meorum quidquam, niſi quod ſuum eſt, in beneficio praeſtiti: ceterum ſi quid haberet ex inuaſione ſeu ex rapina de bonis eccleſiae ad manus, contradixi.*

§. IV.

Succeſſione in illis introducta, nata ſunt feuda miniſterialium.

Inter varia *ſtudia miniſterialium* de ſucceſſione in beneficia laborantium, et inter

varia indulgentiae exempla, quibus domini filiis miniſterialium bene meritorum illa non facile auferri patiebantur, ſucceſſio in bonis, iure curiae datis, ad exemplum feudorum *vſu et obſeruantia* pedetentim inualuit, indeque effectum eſt, vt beneficia miniſterialium *iure feudorum* cenſerentur (*a*). Natales inde ducunt tot ſpecies feudorum, ob ſeruitia *non militaria* ciuilia, aulica, et eccleſiaſtica conceſſorum. Nec minus inde oriuntur feuda, quae Doctores *conditionata* vocant, appellatione vel a voce Germanica, *der bedingten Lehn* male in conditionata feuda translata, vel a conditione, prout pactum legemque denotat, deſumta: quorum intuitu vi ſpecialis conuentionis alia praeſtantur, quam quae iure feudali debentur, ſeruitiorum genera (*b*). Nata inprimis inde eſt appellatio der

(*a*) *Miniſteriales infeodati* eccleſiae recenſentur in IO. NIC. AB HONTHEIM hiſt. dipl. Treuirenſi, p. 668. et miniſteriales, *qui ad hoc officium infeudati ſunt*, ibid. p. 527.

(*b*) Verba II. F. 2. §. 2. *ſi dicatur feudum ſub tali*

der *Hofe-Lehn*, quod bona miniſteriali-
bus olim *iure curiae* conceſſa, iam conuer-
ſa ſint in feuda. Ita beneficia miniſteria-
lium vocantur in charta de a. 1283. quam
integram recenſere iuuat:

Nos dei gracia Iohannes prepoſitus, Arnoldus Decanus totumque Capitulum maioris eccleſie in Hildenſem. preſentibus recognoſcimus et publice profitemur, quod, in commutacionem et recompenſacionem decime in *Obergbe*, Allodium noſtrum in Algermiſſen et duo noſtra in Lobeke, cum omni iure et vtilitate inde proueniente, tam in villis quam in campis, ab omni exactione libera, ſicut nos retroactis temporibus habuimus, Bertoldo de Algermiſſen et filiis fratris ſui et eorum legittimis heredibus *iure feodali miniſterialium*, quod vulgariter dicitur *houelen*, deliberato conſilio contulimus, in perpetuum poſſidenda. Et ſi forte ſuper hiis bonis, ſeu ſuper libertate

eorum

tali conditione, hoc pacto, *dediſſe*, *vt Vaſallus in feſtiuis diebus vadat* etc. locum feciſſe videntur appellationi *conditionatorum* feudorum.

eorum predicte perſone vel eorum heredes aliquando iudicialiter fuerint impetiti, ipſos legitime defendendo, iſtorum bonorum cum requiſiti fuerimus, preſtabimus veram et debitam warandiam. De cetero autem prefate perſone vel eorum legitimi heredes horum bonorum feodalem inueſtituram a Domino Decano noſtro, qui nunc eſt vel qui pro tempore fuerit, nomine noſtri capituli recipient, ſicut ſi bona conſimilia a qualibet alia reciperent, eciam layca, poteſtate. In maiorem vero huius rei firmitatem preſentem literam inde conſcriptam ſigillo noſtro autentico roboratam ipſis ſuper hoc dedimus ad cautelam. Datum Hildenſem. anno domini M. CC. LXXX. tercio, XVII. Kalendas Decembris.

In Charta a. 1323. agnatus bona alienata ex capite miniſterialitatis et quod eſſent bona iure feudali miniſterialium tamquam Hofelehn data, impetiit.

Nos Otto dei gracia Hilden. eccleſie Epiſcopus preſentibus publice proteſtamur, quod, cum Lippoldus de Toſſum famulus, eo iure,

quod

quod *Houelen* vocatur, bona in Toſſem, que miles ſtrenuus Ludolfus Camerarius Religioſis viris, nobis in Chriſto dilectis, Abbati et Conuentui Monaſterii Betzingerode dudum vendiderat, impeteret et crebras de hoc moueret querimonias, quod iidem Religioſi non conſentiente ipſo de ipſius ſe patrimonio ingeſſiſſent, idem Lippoldus, ſaniori tandem ductus conſilio, et vere inſtructus, quod dicta bona non fuiſſent nec eſſent condicionis ſeu iuris, quod *Houelen* dicitur, predicti, ad noſtram veniens preſenciam, ſuumque recognoſcens errorem, publice fatebatur, minus iuſtam fuiſſe impeticionem ſuam, nec ſibi iuris aliquid competere in bonis prefatis, et plane ac ſimpliciter coram nobis renunciauit eisdem, omnique actioni, ſi qua forte ad preſens vel in futurum directe vel indirecte poſſet ei in ipſorum impeticione in toto vel in parte quomodolibet ſuffragari. Et in horum perpetuam memoriam ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Teſtes autem huius rei ſunt. Guncelinus et Wernerus de Berterſleue. Conradus de Saldore,

dere. Iohannes de Oberge. Aſchuinus de Stenberge. Ludolfus, Camerarius predictus. Sigfridus de Ruteuberge. Iohannes dicti Conradi filius. Fredericus Bokel, Milites, et quam plures alii fide digni. Actum et Datum Sturwolde Anno dni. M. CCC. XXIII. VI. Kls. Iunii.

OB-

OBSERVATIO VII.

de

feudo campanario

vulgo Glocken-Lehn.

ARGUMENTUM.

I. *Feudum campanarium quid?*
II. *Officium, cuius intuitu datum.*
III. *Superſtitio circa uſum campanarum.*
IV. *Officium campanarii tempore tempeſtatis.*
V. *Aedificia data in feudum campanarium.*
VI. *Dominium directum huius feudi apud eccleſiam.*
VII. *Conceſſio eius, ad vitae tempus.*
VIII. *Feudum improprium.*
IX *Rarior eius mentio in aliis eccleſiis.*

§. I.

Feudum Campanarium quid?

Quod antiquitatum clientelarium ſtudioſis non iniucundum fore exiſtimo, inter feudorum, quae *officii* rationem habent, exempla ſpeciem expono rarius obuiam, feudum quod pro officio campanarii, tempore tempeſtatis obeundo,

do, datum eſt, *Glocken-Lehn* vulgo dictum; quod *feudum campanarium* appellare non incongruum eſt: nam et veteribus *turris campanaria* et *preces campanariae* dicuntur (*a*). Huius beneficii exempla occurrunt in eccleſia S. Anſcharii Bremenſi, aedificiis nexu beneficiario ea lege datis, vt poſſeſſor tempore tempeſtatis turrem maioris eccleſiae aſcenſurus partibus campanarii defungeretur. Indolem huius beneficii illuſtrant, quas ſubiungimus, literae beneficiariae a Praepoſito Capituli eccleſiae Bremenſis datae anno 1609.

„Ich Franz Marſchal Thum Dechant der Kirchen zu Bremen *als Probſt der Collegiat Kirchen St. Anſchary daſelbſt* urkunde und bekenne Kraft dieſes, vor mich und meine Succeſſoren an gedachter Probſtey zu St Anſchary; Demnach mir durch gutwilligen Abſtand Heinrich Elers Schreibers zu Himmel-Pforten *ein Glocken-Lehn bey der Thum Kirche* zu *Bremen* erlediget, und einem andern wieder-um

(*a*) CAR. DV. FRESNE in *gloſſ. tom. II.* p. 98.

um zu geben heimgefallen; und dann Heinrich Detlefs ſolchgedachtes und erledigtes *Glokken-Lehn* neben denen dazu gehörigen *Wohnungen* in der Glockenſtraſſen belegen, und allen andern pertinentiis *Zeit ſeines Lebens* wiederum conferiret und gegeben, und thue daſſelbe ferner Kraft dieſes, doch derogeſtalt und alſo, daſs er dagegen pflichtig und ſchuldig ſeyn ſoll, dasienige hinwiederum mit *Aufwarten* im *Thum* und ſonſten zu praeſtiren und zu leiſten, was einem Glökkener vermöge der Thum Kirche Statuten und Gewohnheiten eignet und gebühret, und mir und einem Ehrwürdigen Thum Capitul getreu und hold zu ſeyn, auch die obermeldte zu ſolchem *Glocken-Lehn* gehörige *Wohnung* in nothdürftigem Gebäu und Eſſe zu halten, ſeine Freunde auch nach ſeinem tödlichen Abgange, und ſeine Erben alles dasienige, was in ſolchen Wohnungen Erd und Nagelfeſt vorhanden ſeyn wird, ohne einige Wiedererſtattung oder Einrede darinnen bleiben zu laſſen, alles getreulich und ohne Gefährde. Urkundlich habe ich dieſes mit meiner eigenen Hand untergeſchrieben

ben, und mit meinem angebohrnen Petſchaft untergedrucket. So geſchrieben im Iahre nach Chriſti unſers Herrn Geburt ein tauſend ſechs hundert und neune. Diengeſtages in den Heiligen Oſtern."

§. II.

Officium, cuius intuitu feudum datum.

Campanarii, cui campanarum cura easque pulſare incumbit, officium in eccleſiis, maxime cathedralibus et collegiatis, honorificum fuiſſe, ex eo intelligitur, tum quod hoc ſigno regerentur cultus diuini multiplices actus, tum quod clerici hoc officio defungerentur, in iisque presbyteri fuerint. Eosdem *Glockmannos* vel *Cloquemannos* a voce Germanica dictos eſſe legimus (*a*): nam et campana veteribus *Clocca* appellatur (*b*). Sed feudum campanarium non tam datum eſt propter offi-

(*a*) CAR. DV FRESNE in *gloſſ. tom. II. p.* 99. *et p.* 699.

(*b*) Vid. Vita S. Anſcharii cap. 28. in PETR. LAMBECII *orig. Hamburg.* lib. I. p. 72. n. 221. *Inſuper etiam vt Clocca haberetur in eccleſia, conſenſit.*

officium illud ordinarium, quam potius ſpeciatim propter *officium tempore tempeſtatis* in pulſandis cuſtodiendisque campanis ſubeundum. Id quod cum ex generali litterarum clientelarium formula non pateat, dabimus eam in rem ſuperioris ſeculi teſtimonia. In literis nunciis Regimini Suecico, quod olim Stadae floruit, a *Ioanne de Haſſel*, Fabricae eccleſiae Bremenſis, a. d. 18. Apr. 1657. exhibitis, huius officii ratio ſic exponitur: "Ew. Hochgräſl. Excellenz auch Hochedlen Geſtrengen Veſte Herrlichkeiten und hochgelarte Gunſten gnediges und hochgeneigtes Befehlig, wegen Beſchaffenheit des durch endlichen Abgangs weyl. Heinrichen von der Kühlorn nachgelaſſenen Wittiben erledigten Klocken-Lehnes bey hieſiger Königl. Haupt-Kirchen iſt mir gebürlich eingehendiget, gebe darauf zu unterthänigſter und gehorſamſter Nachricht, daſs es mit dieſen, ſowohl als den andern Klocken-Lehnen eine ſolche Beſchaffenheit hat, nehmlich daſs dazu nichtes als die bloſſe Wohnung, ſo doch nur in geringen kleinen Häuſ-

ſern beſtehen, gehörig, und dann 3 Bremer Mark, ſo jährlich aus der Probſtey S. Anſcharii jedweden Klöckener ſollen gereichet werden; dagegen ſeyn ſolche Klöckener ſchuldig, nicht allein die Wohnungen in guten Bau und Eſſe zu halten, ſondern müſſen ſo offt einiges Donnerwetter entſtehet, ein jedweder der Klöckner eine gewiſſe Perſon in der Kirche und uf den Torn haben: welches ſie aber durch gewiſſe beſtellete Leute können verrichten laſſen, und eben es ſelbſten nicht thun: wie dann auch die Meiſter, ſo von dieſen damit belehnet, auſſerhalb der Stadt hin und wieder wohnen, und dergleichen Leute, wie vor erwehnet, dazu gebrauchen. Thue darüber Ew. &c. Gottes alwaltigen Gnaden-Schutzes hertz trowlichſt empfehlen. &c. Geben Bremen den 18. Aprill 1657." Alterum eſt teſtimonium, quod dedit Sarnighauſen Bremae a. d. 28. Maii 1684. Auf beſchehenes Anhalten Herrn Luders Clüvern, Königl. Schwediſchen Zoll- Accise- und Contributions-Einnehmern zum Fegeſack atteſtire hiedurch, daſs er von demjenigen Klocken-Lehn-Hauſe, ſo er zu Lehn hat,

hat, und in der Bückſtraſſe alhier belegen iſt, jederzeit die Aufwartung auf den Kirchthurmb und der Kirche bey vorgefallenen Donner und andern Wetter verrichten laſſen. Bremen den 28. Mai 1684."

§. III.

Superſtitio circa vſum campanarum.

Videlicet fuit ea quondam inter varia ſuperſtitionis exempla credula opinio, campanarum ſonitu propelli tempeſtates. Superſtitionis rationem verbis ANDREAE PISCARA CASTALDI (a) Neapolitani, et Theol. Doctoris, exponere iuuabit: *His omnibus addimus ex Rituali Romano nouiter impreſſo, pulſandas eſſe campanas omnes, cum procella imminet: pulſantur enim campanae ad tempeſtatem repellendam, vt daemones, qui, Deo permittente, multoties eas excitant, ipſarum ſonitu, dum fideles ad preces confugiunt, terreantur:* et quaſi in daemonum ingenium penetrauerit, *abhorrent enim maxime,*

(a) *In Praxi ceremoniarum lib. I. S. 3. cap.* 10. *n.* 21.

xime, inquit, *daemones ſonitum campanarum, quae ſunt multiplici benedictione ſacratae.* Natales duxit ſuperſtitio, cui ſimilis vix eſt, ex more *baptizandi campanas*, ita vſurpato, vt ipſis inter varia baptiſmi ſolennia inditum ſit nomen. In Chronico Montis Sereni ad a. 1206. (*b*) campana refertur, *quam Hellembertus Havelbergenſis Epiſcopus conſecrauit, Petronellam nominans.* Vltraiecti ſeculo XV. campanam fuiſſe, cui nomen *Maria*, auctor eſt ANT. MATTHAEI (*c*). A benedictione campanarum, ſuperſtitioſam vim et poteſtatem earundem repetit easque ideo pulſari ſcribit GVILIELM. DVRANDVS (*d*), *vt procul pellantur hoſtiles exercitus et omnes inſidiae, inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum et fulgurum temperentur, infeſtaque tonitrua et ventorum flumina ſuſpendantur, ſpiritus* pro-

(*b*) In MENCKENII *ſcript. rer. Germ. Tom. II.* p. 223.

(*c*) In tr. de *iure Gladii* cap. 37. p. 623. et in *fundationib. et fatis eccleſiar.* p. 552.

(*d*) In *rationalii diuin. offic. lib. I. c. 4. n.* 15.

procellarum et aëreae poteſtates proſternantur - - - ſicut haec omnia in benedictionibus campanae habentur. Nec modo inter fines ſuperſtitionis perſtitit haec opinio, ſed et captatoria facta eſt, ſiquidem ſub eius tegmine laicorum bonis inhiarunt clerici, prout ex cenſura publica intelligitur, qua eam ſeculo XVI. damnandam cenſuerunt S. R. Imperii ordines inter centum grauamina, aduerſus ſedem pontificiam et totum eccleſiaſticum ordinem a. 1523. propoſita (e). *Suffraganei,* inquiunt, *excogitauerunt, vt ſolum ipſi et nullus alius ſacerdos laicis campanas baptizent. Credunt deinde ſimpliciores, ita affirmantibus ſuffraganeis, tales campanas baptizatas pellere daemones et tempeſtates. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, praecipue vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana religata eſt, tangunt, ac ſuffraganeo prae-*

(e) Eſt grauamen LI. apud A. C. FRID. GEORGIVM in tr. de *grauaminib. Nat. Germ. aduerſus Sed. Rom. lib. 2. P. 2. S. 2. p.* 444.

praecinente, quemadmodum in paruulorum baptizatione fieri ſolet, omnes pariter reſpondent, ac campanae nomen ingeminant, veſteque noua, quemadmodum et Chriſtianis fieri ſolet, campana induitur. Inde ad ſumtuoſa properatur conuiuia, quibus praecipue compatres, vt eo largius munera offerant, adhibentur - - - quae res non ſolum ſuperſtitioſa ſed etiam chriſtianae religioni contraria ac ſimplicium ſeductio, et mera eſt exactio, verum tamen Epiſcopi vt ſuffraganeos vel viliſſima obaerare poſſint mercede, talia et adhuc abſurdiora tolerant.

§. IV.

Officium campanarii tempore tempeſtatis.

Ita vero neglecta *naturali* ratione, qua campanarum ſtrepitu aërem longe lateque vibrante vim tempeſtatis infringi haud improbabile eſt, et ſubſtituta *ſuperſtitioſa* omnino opinione, aeri, in faſtigio templorum appenſo, tanta vis in auertenda tempeſtatum iniuria tributa eſt, vt mirum

rum videri non poſſit inſtitutum, quo pro officio, *in campanis tempore tempeſtatis pulſandis ſubeundo*, data ſunt beneficia campanaria. Vbi ergo imminebat tempeſtas, campanarium beneficiatum vel in eccleſia maiori eiusue turri praeſentem eſſe oportebat, vel alium ſubſtituere, officium illud ſubiturum.

§. V.

Aedificia data in feudum campanarium.

Quae in Eccleſia Bremenſi proſtant feudorum campanariorum exempla, illa fere omnia docent, *aedificia* praeſertim, pro eo ſeruitio data eſſe in beneficium. Id videlicet ratio et vſus feudorum probat, *aedes* faepenumero collatas eſſe nexu clientelari (*a*). Cum itaque dominium vtile aedium fuerat penes hos eccleſiae vaſal-

(a) Exemplorum congeriem exhibet IO. HENRIC. KLOTZ in diſſ. *de feudo aedificii*, cuius auctorem illuſtrem Senkenbergium eſſe coniicit Celeb. IENICHEN in *theſ. iur. feud. tom. I. p.* 926.

ſallos, tum ad eosdem pertinebat ad easdem *ſartas tectasque* ſeruandas easque ſuis ſumtibus reficiendas obligatio.

§. VI.

Dominium eorum directum penes eccleſiam.

Dominium directum horum feudorum fuit penes *Capitulum Eccleſiae S. Anſcharii Bremenſis*, cuius nomine *Praepoſitus*, cuius prima fuit in Capitulo dignitas, ius eadem conferendi exercuit. Itaque Capitulo et Praepoſito fidem promittebant iſti eccleſiae vaſalli, et *capituli conſenſu* opus erat, vbi vel *alienare* aedes in feudum campanarium datas cupiebat vaſallus, vel easdem in *dotalitium* concedere; cuius rei exemplum §. ſequenti proferemus.

§. VII.

Conceſſio illorum ad vitae tempus.

Officii rationem habet et imitatur hoc beneficium, quod *ad heredes* non tranſierit, ſed *ad vitae tempus* fuerit conceſſum,

vt

vt ex literis beneficiariis §. II. exhibitis apparet. Idem in aliis *feudis aedificii* obtigiſſe exemplo feudi conſtet, quo Abbas Fuldenſis domum in oppido Fulda a. 1366. conceſſit *ad vitae tempus* duntaxat, *zu ſeinen Lebetagen* (a). Morte vaſalli ad capitulum reuertebatur, ab eius *Praepoſito* alteri rurſus in feudum conferendum. Filiis vaſalli non facile obuenit, niſi ex ſpeciali indulgentia. Anno 1641. *expectatiuam* in feudum paternum filiis conceſſerat Capituli Praepoſitus idque ex rationibus ſpecialibus, quas recenſent ipſae *literae expectatiuae.*

"Ich Laurenz Heiſtermann Erz-Stiftiſch Bremiſcher Thum Capitular, und der Collegiat Kirchen zu St. Anſcharii Probſt hieſelbſt thue kund und bekenne hiemit für mich und meine Succeſſoren an gemeldter Probſtey, daſs ich als pro tempore *Collator der Glocken-Lehn* Dno Georgio Clödio auf ſein abermaliges Erſuchen und Anhalten deſſen *beyden Söhnen*, benanntlich Arend und Iürgen, wegen der groſ-

(a) SCHANNAT *in Client. Fuld.* cod. prob. n. 197. p. 274.

groſſen an Caſpar Schulten ſeel. zum Abſtand gegebenen Contentation Gelder, von Grund auf neuen erbaueten Stalles, und ferners noch vielfältigen in ſeiner zu ſeinem Glocken-Lehn gehörigen Wohnunge angewandter, auch darzu künftig anwendender, und ſich auf ein hohes erſtreckender Bau-Koſten, der eine auch mein Pathe und Gevatter, eine *Exſpectanz* und *Beanwartung* auf ſolch ſein Glocken-Lehn ertheilet und bewilliget; thue ſolches auch nochmals beſtergeſtalt Rechtens für mich und gedachte meine Succeſſoren dergeſtalt und alſo, daſs obgenante ſeine Söhne auf ihres Vatern und Mutter, welche ſchon von E. *Wohl-Ehrwürdigen Thum-Capitul Leib-Zucht* Verſchreibung in Händen haben, ſich begebenden Todes-Fall ſucceſſiue ſolchen Glocken-Lehn cum pertinentiis auf Art und Weiſe es von ihme jetzo beſitzet und gebrauchet wird, beſitzen, nützen, nieſſen und gebrauchen mögen. Urkundlich habe ich die Exſpectanz eigenhändig unterſchrieben, und mit meinem Petſchaft corroboriret. Bremen d. 1. Martii Anno 1641."

§. VIII.

Eſt feudum improprium.

Itaque feudum campanarium *improprium* fuiſſe, tum ex *ſeruitiorum* ſpeciatim deter-

determinatorum ratione tum ex *deficiente ſucceſſionis iure* perſpicitur. Olim ſeptem aedificia in feudum campanarium data ſunt in eccleſia Bremenſi, quorum indoles non perſeuerauit (*a*). Vltimum feudum a. 1740. morte poſſeſſoris apertum red-

(*a*) Recenſentur in indice a. 1703. confecto, vbi ſimul eorum hodierna ratio exponitur; quem ideo annectere iuuabit. "*Glocken-Lehne bey der Structur zu Bremen ſeyn ingeſamt belegen in der Bukſtraſſen und an dieſelbige* 1) *Ein Hauſs in der Bukſtraſſen wird in des Intendanten Burmeiſters Regiſter berechnet, in der Numer das 57ſte, bewohnet die alte Reit Vogt Stephanſche, iſt olim ein Glocken-Lehn geweſen, ietzo aber eingezogen, und wird die Hauer davon berechnet, außer* 1 *Rthlr. iährlich Abganges für Thurmſteigen beym Donner-Wetter, und andern Feuers-Gefährlichkeiten, wann ſich ſolche eräugen.* 2) *Folglich Nro* 58. *auch unter denen Häuſern in ſolchem Regiſter, von einer Haußſtelle, ſo auch damit belehnet geweſen, und eingezogen, davon gehet* 1 *Rthlr. ins Regiſter, und* 1 *Rthlr. fürs Thurmſteigen.* 3) *Nro.* 59. *ein Haus damit belehnet geweſen und reducirt, wird bewohnet für ietzo von Valten Vorthman.* 4) *Nro.* 60. *Dem vorigen auch gleich, wird bewohnet von Behrend Hanſen Zimmermann, der das Thurmſteigen abwartet, und in der Heur* 1 *Rthlr. inne behält.* 5) *Nro.* 96. *wo die Kloppenburgiſche wohnet, hat eine glei-* *che*

redditum, vlterius beneficiario nexu conceſſum non eſt. Aedificia, quondam in beneficium data hodie aliis locantur, reditibus in rationes publicas redactis. *Seruitii priſtini* hae reliquiae ſuperſunt, quod ex aedium locario vnus thalerus quotannis in ſtipendium eorum impendatur, quorum eſt, turres imminente tempeſtate vel quolibet alio periculo, magis *Cuſtodiae* gratia, aſcendere.

§. IX.

che Beſchaffenheit. 6) *Nro.* 77. *eine alte Buhde, davon gehet auch ein Thurmſteiger iährlich für* 1 *Rthlr. Das übrige, was davon kommet, wird Königl. Kammer berechnet; Welche ſechs Theile Glocken-Lehns Güter, und deren geweſene Belehnung dann ingeſamt reducirt und eingezogen ſeyn.* 7) *Noch ein Glocken-Lehn womit Lüder Clüver zum Vegeſak belehnet, beſtehet in einem kleinen Hauſe in der Bukſtraſſe belegen, ſo dem Principali iährlich* 12 *Rthlr. Haus-Heuer abgiebt, und überdeme den Thurmſteiger hält, iſt biſshero zu, alſo ruhig geweſen; Der ietzige Bewohner beſagten Hauſes heiſſet Iürgen Landwehr. Mehr Glockens Angehörige findet man zu ertheilender gehorſamen Nachricht nicht vor, denn angeführte ſieben Theile. Bremen den* 24. *Novembr.* 1730." *Vltimum beneficium non minus, ac reliqua, conſolidatione extinctum eſt anno* 1740.

§. IX.

Officii Campanarii ratio in aliis eccleſiis.

Sed rarior eſt feudi campanarii mentio in aliis eccleſiis. Ordinarium campanarii officium pertinet ad officia eccleſiaſtica ſimplicia; et vix in aliis, quam cathedralibus et collegiatis eccleſiis, ſpeciale officium conſtituit, cuius nomine ſtipendium magis annuum quam feudum datum: in minoribus eccleſiis partem facit officii cuſtodum eccleſiae. *Collatio* iſtius *officii* penes capitulum eiusue caput fuit; niſi forte lege fundationis patrono ſit acquiſita. Adiungimus in eius rei illuſtrationem documenta duo, in quorum altero *Collatio campanariae* annexa eſt praedio feudali vna cum iure patronatus; in altero recenſentur, quae Campanariis miniſtrata ſint in eccleſia Hildenſemenſi. In priori *coram Henrico Ep. Hildeſ. Ludolfus camerarius reſignat feudum, cui annexa erat collatio campanariae, in fauorem miniſterii Marienrode* 1313.

Nos

Nos *Henricus* dei gracia Hildenſemenſis eccleſie Epiſcopus recognoſcimus tenore preſencium publice proteſtantes, quod *Ludolfus miles*, *dictus de Toſſem*, *noſtre eccleſie Camerarius* conſtitutus coram nobis publice recognouit, quod ipſe, cum conſenſu et voluntate omnium heredum ſuorum omnia bona ſua ac omnia iura, que in villa Toſſum et in diſtrictu eius habuit, et a nobis in pheudo tenuit, videlicet vndecim manſos liberos cum Curiis ipſis annexis et ſeptem areas, cum omnibus iuribus, et pertinenciis ſuis, cum decima et omni iure ſuo, cum iure *Patronatus eccleſie eiusdem ville*, et omnibus iuribus et bonis ſuis eciam *cum collacione campanarie*, item cum campo, que O dicitur et vno manſo ſito in campis ville Ochterſem inpheudatis et vna area in Harleſſem ſita, cumque ſex ſolidorum redditibus, quos *ciues in Harleſſem* dant annis ſingulis pro tranſitu per Indiſtriam et campum ville Toſſum ad communem ſiluam, que vulgo *Holtmarcke* nuncupatur, et viginti pullis in molendino Sancti Michaelis; item cum piſcaturis ibidem in aquis, que *Indiſtria*, *Ludinge* et *Bodeſtere* dicuntur, cum molendinis ibidem et locis ad molendina aptis, ſuper easdem aquas ſitis cum acceſſibus et egreſſibus eorundem, cum ipſo eciam *riuulo Bodeſtere*, cum molendinis et vtilitatibus ſuis a molendino *Ditbolthuſen* vsque ad *Indiſtriam* cum iure piſcandi.

ſcandi proprio in eodem: item cum tercia parte *Comecie nemorum*, ad villas *Sodere* et *Toſſum* pertinencium, et vniuerſaliter omnia et ſingula que ſupradictus miles Ludolfus ibidem habuit et a nobis in feudo tenuit tam in ipſa villa quam extra villam in campis, areis, decimis, pratis, paſcuis, montibus, vallibus, ſiluis, lapidum et ſiluarum vtilitatibus, ſalictis et arundinetis, aquis, aquarum decurſibus, agris cultis et incultis, ſtratis, et inuiis, ſemitis, paludibus, cum omnibus ſuis pertinenciis et attinenciis eidem ville annexis, expreſſis ſeu non expreſſis, nec non cum omnibus iuribus, iuriſdictionibus et iudiciis *Graueſcop*, *Grograueſcop*, *Holtgraueſcop*, *Godinge*, vel quocunque nomine cenſeantur, cum advocacia et omni exactione et precaria, nec non cum omni iure quod in bonis dicti Camerarii habemus vel habere poſſemus, Religioſis in Chriſto viris Dno Abbati et conuentui monaſterii Noualis Sancte Marie, quod vulgo Betzingerode dicitur, Ciſtercienſis ordinis, noſtre dioceſis, pro trecentis et Sexaginta marcis puri Hildenſemenſis argenti et ponderis ſibi, vt confeſſus eſt, ab ipſis integraliter perſolutis et ab ipſo iam perceptis, vendidit et tradidit, et ſingula dicta bona ad manus dicti Abbatis et Conuentus nobis voluntarie et liberaliter reſignauit. Nos quoque huiusmodi bonis per ipſum noſtrum Camerarium voluntarie et liberaliter ſic nobis reſi-

gnatis,

gnatis, cum proprietatem eorumdem bonorum ac aliorum ad villam Toſſum pertinencium cum ſuis attinenciis omnibus et ſingulis, predictis viris religioſis, cum conſenſu tocius noſtri Capituli, proprietatis titulo donauerimus, eadem bona ſic nobis per eundem noſtrum Camerarium reſignata Religioſis Abbati videlicet et conuentui predictis, tamquam libera et *exempta ab omni aduocacia*, *angaria*, *iurisdictione*, *precaria* ſeu *ſeruicio quocumque et ab omni procuracione*, preſentibus tradimus et donamus, transferentes in eosdem ſingula bona predicta cum ſuis ſingulis iuribus, pertinenciis et attinenciis, pleno ymmo pleniſſimo iure, ab eisdem proprietatis titulo iugiter et perpetuo poſſidenda. In cuius rei euidens teſtimonium noſtrum et predicti Ludolfi noſtri Camerarii, militis, ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Ego quoque Ludolfus de Toſſum, miles, eccleſie Hilden. Camerarius predictus, premiſſa omnia et ſingula, in literis Reuerendi dni mei Henrici Hildenſ. eccleſie epiſcopi preſentibus expreſſa et enarrata ratificans, prenarrata omnia et ſingula approbo eſſe vera. Proteſtor eciam ipſa bona predicta ab ipſo dno epiſcopo me *inpheudo tenuiſſe*, et eadem ſibi, vt predictum eſt, liberaliter reſignaſſe, obligando me et meos heredes ſpecialiter fide data pro warandia omnium predictorum bonorum et iurium: quam ſiquidem warandiam ſepedictis viris religioſis pre-

preſtabo vbicumque et quociescumque ab ipſis fuero requiſitus. Renuncians inſuper excepcioni non numerate et non ſolute pecunie, reſtitucionis in integrum, doli mali, nec non omni excepcioni, circumuencioni et auxiliis iuris ciuilis et canonici, quorum nullum mihi vel meis heredibus volo contra premiſſa aut aliquod premiſſorum aliquatinus ſuffragari. In cuius rei teſtimonium et perpetuum firmamentum prenominati Reuerendi dni Heinrici Hilden. eccleſie epiſcopi ſigillum, ad preces meas, nec non meum ſigillum preſentibus ſunt appenſa. Teſtes huius rei ſunt: Conradus Prepoſitus. Hermannus Decanus. Beruhardus Scolaſticus. Fredericus de Berwinkele. de Adenoys. Guncellinus Otto de Woldenberge, Prepoſitus Montis Sancti Mauricii. Otto de Walkenſtene. Burchardus de Hardenberge. Iohannes Cantor dictus de Oberge. Erneſt. Boc. Canonici eccl. Hildenſemenſis. Conradus et Iohannes fratres dicti de Woldenberge et Ludolfus dictus de Woldenſtene, Comites. Conradus de Saldere. Iohannes de Oberge. Boldeninus et Aſchuinus de Steinberge. Iohannes de Doceſſem. Sifridus de Rutenberge. Conradus Marſchalcus. Iohannes Pincerna. Otto de Bolteſſem. Hugo de Eſſcherte *milites*. Bertoldus de Dinkelere. Tidericus de Cramme. Eylhardus de Doceſſem. Hermannus de Bolteſſem, *famuli*. Albertus de Dammone. Iohannes Burchardi. Bertrammus

Reynifridi. Iohannes Buſſonis, Albertus diues, Burgenſes Hildenſemenſis Ciuitatis, et quam plurimi fide digni. Datum Anno Dni MCCC. XIII. In die beati Benedicti Abbatis.

II. *Notitia de miniſtratis in eccleſia Hildenſemenſi tempore Nicolai Praepoſiti anno* 1382.

De anno Domini M. trecenteſimo LXXXII. de menſe Auguſti fuit hec informacio tradita per dnum Nicolaum Prepoſitum Hildenſ. de miniſtratis ſingulis ſui temporis annis per eum in memoriis et feſtis et in certis temporibus. Sed de quibus bonis ſingula ſubſcripta debeant miniſtrari, non eſt ſibi per omnia notum, quod hoc valeat de preſenti ſpecificare. Et non teſtificatur dictus Nicolaus prepoſitus de ſubſcriptis alias vel aliter, niſi quod ſunt miniſtrata per eum et ſequitur: Ad *memoriam Ottonis* Epiſcopi ad Prebendam dabitur vnus ſolidus. Vicariis, cuilibet ſex denarii: Scolaribus X. Sol. *Campanariis II. Sol.* due candele de duabus libris cere et plena karitas pullorum, panis et vini dnis et Vicariis. *Item* dabit Prepoſitus lumen nocturnale ad altare beate Cecilie virginis, et lumen nocturnale ad lucernam Paradiſi et lumen nocturnale ad dormitorium dnorum. *Item* dabit Prepoſitus duas faculas de X. libris cere et vnam de quatuor libris cere arſuras per circulum anni in eleuacione corporis dominici. *Item* in feſto Elizabeth dabitur cuilibet

bet Canonico preſenti ſcopa vini, I. ſolidus, cuneus et pullus caritatis. Cuilibet Canonico infra ſcolas ſex denarii, quarta vini, cuneus et pullus caritatis. Cuilibet Vicario quarta vini, cuneus et pullus caritatis. Subcuſtodi et Succentori tantum. Cuſtodi III. libre cere; et candele circa chorum et in Corona et in ſanctuario ad veſperas et matutinas ardebunt. *Campanariis duo ſolidi.* Scolaribus V. ſolidi. *Ad memoriam dni Sigfridi Epiſcopi* dabitur cuilibet Canonico preſenti I. Scopa vini et I. ſolidus. Cuilibet vicario quarta vini et III. denarii, due libre cere ad ponendum duas candelas. *Campanariis I. ſolidus.* *Item* dabitur per totum Aduentum cuilibet Scolam vna ſemella, qui ad decantandum vnum Veni Redemptor in Completorio interfuerit. *Item* dabitur in feſto Agnetis caritas dnis et Vicariis pullorum et vini ſine pane pro anniuerſario Ottonis, quidam dicunt Epiſcopi, et alii prepoſiti, peragenda. *Item* habitur dominica Inuocauit dnis et Vicariis caritas cum piſcibus et vino ſine pane. *Item* dabitur ad memoriam Ludolfi Prepoſiti ad Prebendam I. ſol. *I. ſol. Campanariis*, Camerariis I. ſol. et due libre cere ad duas candelas. *Item* dabuntur cunei VI. ſeptimanis dnis noſtris. *Item* in feſto beati Beruwardi dabuntur II. talenta ac VIII. ſolidi monete Hildenſ. more et modo ſeruicii magni inter dnos Canonicos eccleſie noſtre et alios, qui de ſeruiciis magnis recipere conſue-

 uerunt,

uerunt, ad Miſſam in choro preſentes, et VIII. ſolidi inter illos Vicarios preſentes, qui de ſeruicio magno partem non recipiunt, et duo ſolidi Scolaribus et VI. *denarii campanariis* et Camerariis *pro maioribus campanis in ipſo feſto pulſandis*, et II. ſolidi Subcuſtodi pro candelis cereis, in Corona et choro accendendis, et ſex denarii oppermannis pro labore eorum ac II. ſolidi pro vino Refectorii, et vnus ſolidus Succentori. *Item* in diebus Aſſumptionis, Purificacionis et dedicacionis, in quolibet illorum dierum, dnis Canonicis *Montis Sancti* Mauricii XVII. ſol. et ſancte Crucis XV. ſolidi fuerant temporibus dicti dni Nicolai prepoſiti miniſtrati per eundem. Dabuntur eciam anno quolibet in die beate Elizabeth *Campanariis III.* Solidi, vt cereos et crucibulum per anni circulum accendant cum diligencia et extinguant.

OB-

OBSERVATIO VIII.

de

de feudi communis diuiſione.

ARGVMENTVM.

I. *Ratio feudi communis apud Germanos.*
II. *Ius ſuccedendi in parte indiuiſa datur iure German.*
III. *Non vero iure Longob. niſi feudum ſit antiquum.*
IV. *Ius illud diuidendi.*
V. *Diuiſione eius tollitur ius ſuccedendi iure Germ.*
VI. *Non vero iure Longobardico, niſi in feud. antiquo.*
VII. *Diuiſio eius quoad fructuum perceptionem tantum.*
VIII. *Finis illius in conſeruanda ſucceſſione in feudo communi.*
IX. *Origines inueſtiturae ſimultaneae inde repetitae.*
X. *An diuiſione feudi communis hodie tollatur ſucceſſio.*

§. I.

Ratio feudi communis apud Germanos.

Solenne fuit Germanis, pluribus *coniunctim* conferre eiusdem rei dominium clientelare, et ſic inter eosdem feudum efficere *commune*. Coniunctim inueſtiti *con-*

 iuncta

iuncta manu feudum accipere dicuntur, vel quod *vexilla* aliaue *ſymbola* inueſtiturae ſimul apprehenderent, vt cenſuit SCHILTERUS (*a*), vel quod *fidem vaſalliticam*, quam manibus, in manus domini immiſſis, praeſtare mos erat (*b*), ſimul communi manu ſponderent. Quae res effecit, vt et *feudi communis conceſſio*, communis ſeu coniuncta manus non minus ac ſimultanea inueſtitura diceretur. Tribuit illa omnium *iurium* et *obligationum*, quae Vaſalli ſunt, *communionem*. Totius feudi *dominium vtile* ad omnes coniunctim pertinet (*c*). Ius *poſſidendi*, eodemque feudo *vtendi fruendique* ius omnium coninueſtitorum commune eſt (*d*). Denique de ipſo feudo *diſponendi* ius non niſi ab omnibus con-

(*a*) *De ſimult. princ. inueſtit.* c. I. §. 4.

(*b*) De quo more luculenter egit illuſtriſſimus LVDOVICVS SIGFRIDT *Comes Vice. dominus ab* ECKSTADT in diſſ. *de feudis ligiis* §. XVIII.

(*c*) *Ius feud. Alem.* c. 61. §. 3. c. 65. §. 1. I. F. *Sax.* c. 32. et 34. *Auct. Vetus de benef.* §. 39. 40.

(*d*) I. F. A. c. 16. §. 2. I. F. S. c. 13.

coniunctim exerceri poteſt, nec valet diſpoſitio, alterutro inconſulto ſuſcepta (*e*).

§. II.

Ius ſuccedendi in feudo communi ex iure Germ.

Quod conſorti in eodem feudo pro parte indiuiſa competit ius, poſt eius mortem transfertur in ipſius *heredes deſcendentes* (*a*), in *clientelae communionem* cum ſuperſtitibus feudi conſortibus tranſituros. Eodem *ſine heredibus* defuncto, ſuperſtiti ex iure Germanico competit *ſucceſſio* in parte feudi *pro indiuiſo* communis (*b*): cuius ſucceſſionis rationem ex indole *inueſtiturae ſimultaneae* repetimus. Videlicet plures de eodem feudo inueſtiti cum *coniuncta manu* feudum accipiant, velut pro *una*

(*e*) I. F. A. c. 65. §. 3. Conf. v. c. AVGVSTINVS BALTHASAR de *ſimult. iuris Germ. inueſt.* §. 7. et ſeq. et IO CHRIST. SCHMIDT de *diuerſis ſimult. inueſt. ſpecieb.* §. 8. et ſeq.

(*a*) I. F. A. c. 65. §. 2.

(*b*) I. F. A. c. et cap. 3. et 4. *Vet. Auct. de beneſ.* c. 48.

vna perſona habentur: iisque dominus feudum commune confert *in ſolidum* (*c*). Itaque non prius, quam *omnium* eiusdem feudi conſortium *iure* extincto, feudum commune ad Dominum *vi inueſtiturae* redit. *Alterutro* ſine herede defuncto, *ſuperſtes* eiusque heredes, feudum quod hactanus penes omnes fuit, in ſolidum conſequuntur. Rem illuſtrat exemplum literarum reuerſalium *Theodorici* Domini *de Altona* eiusque conſanguinei *Wilhelmi de Horne*, de eodem feudo *coniuncta manu* a Comite Hollandiae inueſtitorum de a. 1230. quod ex *Ant. Matthaei not. ad*

res

(*c*) Haec communis feudi indoles in Reſolutione Electorali regia, ad preces Statuum Prouincialium in Saxonia Electorali de d. 8. Febr. 1700. emiſſa, apud LVNIGIVM in *Corp. iur. Feud.* tom. II. p. 644. ſic exponitur: *alldieweilen aber, wenn mehr als einer in Geſamter Lehen an einem Guthe ſtehen, vermöge der Lehn-Rechte einem jedem derſelben die Mitbelehnſchaft in ſolidum zukommet, und ſolche nur ſodann, wenn eine würckliche Theilung geſchiehet, gebrochen wird etc.* Conf. IO. GOTHOFR. BAYERI diſſ. de *orig. et progr. comm. Sax. man.* §. XIII.

res Vltraiectinas p. 98. exhibet I. P. DE LVDEWIG (*d*); vbi haec habentur. *Quicunque vero noſtrum ſcilicet ego et conſanguineus meus absque heredibus moritur, alius praeſata bona, quae communi manu tenemus in feudo a Comite, ſolus retinebit.*

§. III.

Iure Long. in feudo communi nulla ſucceſſio, niſi ſit antiquum.

Alia eſt *Longobardorum* de ſucceſſione in feudo communi NOVISTER ACQVISITO ſententia. Inueſtitura plurium de vno eodemque feudo, pro inueſtitura ſingulis *pro rata* (*a*), non vero pro inueſtitura, ſingulis *in ſolidum* facta habetur, et vi illius ſingulis non niſi *ius pro rata* in feudo communi conceditur. Itaque iure alterius conſortis in feudo communi extincto, quae ipſius fuerat pars indiuiſa, ad

(*d*) In diſſ. *de ſimult. inueſt.* p. 12.

(*a*) II. F. 85. *ſi vterque ſimul inueſtiatur, pro parte ſibi proficiunt.*

ad *dominum* redit: *conſorti* vero ius ſuccedendi negatur, cum per inueſtituram ſimultaneam huic non niſi dominium clientelare *pro rata ſua*, non vero intuitu partis pro indiuiſo, *ad alterum* pertinentis, tribuatur. Vt ergo huic competeret ſucceſſio, hanc *legem*, vt conſors conſorti, vbi deficerent liberi, ſuccederet, in inueſtitura et quod huic accedebat, pacto dictam eſſe oportet (*b*). Ex quibus ſimul iuris feudalis Germanici et Longobardici circa ſucceſſionem in feudo communi *nouo* differentia abunde intelligitur. Alia omnino ſecundum ius Longobardicum eſt ſucceſſionis ratio in feudo *communi antiquo*. In quo cum omnibus clientelae conſortibus ex *primi acquirentis inueſtitura*, ſeu ex pacto et prouidentia maiorum, ius ſuccedendi ſit acquiſitum: illud omnibus eiusdem deſcendentibus, in communione feudi

(*b*) II. F. 12. *Si duo fratres de nouo beneficio et non de paterno ſimul inueſtiti fuerint: vno ſine herede defuncto, ad alterum non pertinet eius beneficii portio; niſi facta fuerit eo pacto inueſtitura.* Idem habetur I. F. 1. §. 1. in f. I. F. 8. §. 2. I. F. 14. §. 3.

feudi ſubſiſtentibus, non potuit non ſaluum integrumque permanere.

§. IV.

Ius diuidendi feudum commune.

Quandoquidem nemo, vt inuitus in communione perſiſtat, obligatur, niſi ſpecialis ratio diuiſionem impediat: vaſallis eiusdem feudi conſortibus non minus liberum eſt a *communione recedendi* ius et feudum commune inter ſe diuidendi. Ad quam diuiſionem ne *domini* quidem *conſenſu* opus eſt, cum per eam iura Domini non violentur, nec ratio prohibitae diuiſionis ex ſimultanea inueſtitura repeti poſſit. Perſpicua eſt ſententia IVRIS FEVD. ALEMANNICI cap. LXV. *Ein Herre mag viel Brudern ein Lehen lihen, das ſi es mit Geſampter Hande empſohen, und geliche Gewer daran hand; und wellent ſii ſich ſcheiden mit dem Gute, und teyllent es unter ſich, das tunt ſii wol one des Herren Vrlop* (c).

In

(c) Conf. *Aut. Vet. de benef.* c. 84. et *I. F. S.* c. 32.

In feudis *maioribus*, quibus officium *regni*, diuiſioni non obnoxium, annexum erat, interuenit ratio ſpecialis, quare diuidi inter conſortes non potuerint (*d*).

§. V.

Iure germ. ius ſuccedendi diuiſione tollitur.

Diuiſione feudi communis ſuſcepta, iure Germanico tollitur ius ſuccedendi conſortium inter ſe in parte diuiſa, quae eorum cuilibet obuenit. Quod enim durante communione competit ius ſuccedendi, innititur *inueſtiturae ſimultaneae*, pluribus de eodem feudo in ſolidum factae. *Fracta* per diuiſionem *communione*, quod ſingulis in feudo communi pro parte indiuiſa competiit ius, iam totum ſubſiſtit *in parte feudi*, quae ex diuiſione ſingulis ceſſit; ac proinde ad alterius conſortis portionem ius omne *ipſa diuiſione* ſublatum eſt (*a*). Deficiente itaque ſucceſſore, quae aperta

(*d*) II. F. 55. §. 2. HORN in *iurispr. feud.* c. XV. §. 18. 16.

(*a*) I. F. *Sax.* cap. XXXII. *Wenn ſie ſich alſo*

aperta eſt feudi portio ad dominum redit. Quod cum iure *Feudali Alemannico* (*b*) et *Saxonico* (*c*) luculenter comprobatur; tum non minus iure Francorum, vulgo *Kayſer-Recht* (*d*), agnoſcitur: *Teylet her aber ſe noch dez Kayſers Rechte, alſo he ez dem Lehen hat geſatzt, Vorſterbin den dy eyne Sythen, ſo fallen ſe in dez Kayſers Hand, und iſt verlorn von den ez geteylet iſt: ſint in dez Riches Rechte ſtet geſchrebin: Geteylet Lehin daz ſal dem Riche erſterbin.* Exemplum ſucceſſionis feudalis, curatius explicatae, occurrit in tabulis (*e*), quibus Balduinus Archiepiſcopus Treuirenſis Henrico de Helfenſtein caſtrum et alia bona in feudum ita largitur, vt ſucceſſio ſemper eſſet penes primogenitum, eoque ſi- [illegible] ne

ſo theilen, ſo hat ihr keiner kein Recht mehr an dem abgetheilten Guthe.

(*b*) Cap. III. §. 3. et cap. LXV. §. 2.

(*c*) *Art. XXXIV.* conf. *Vet. Auct. de benef.* P. I. §. 84.

(*d*) *Lib. III. art.* 12. conf. *art.* 25.

(*e*) De a. 1314. vid. IO. NIC. de HONTHEIM in *Hiſt. Treuir. diplom. tom. II. p.* 38.

ne herede decedente, fratrum quidem *in communione* bonorum paternorum ſuſiſtentium ſeniori daretur, negaretur vero iisdem, facta bonorum paternorum *diuiſione*, a ſe inuicem ſeparatis. Verba ſunt: *Semper primogenitus maſculus in recta linea ipſius Henrici abſque diuiſione aliqua facienda praeficiatur ipſius caſtro et ſuccedat in eodem cum villa et appendiciis memoratis - - ſi vero contingeret quod poſſidens dictum caſtrum ſine herede decedat, bonis ſuis aliis praedictis indiuiſis inter fratres ſuos, ſi quos habuerit ex parte patris, antiquior dictorum fratrum ſuccedat in dicto caſtro: ſi vero ſine herede proprii corporis, vel bonis diuiſis, vt dictum eſt, moriatur, ad Archiepiſcopum Treuirenſem, qui fuerit pro tempore, caſtrum memoratum et ad eccleſiam Treuirenſem reuertatur.* Mores Germaniae egregie explicat *Charta* Capituli eccleſiae *Mindenſis* a. 1304. (*f*) in qua prouocatur *ad iura feudorum, quae volunt, vt feudum, quod*

(*f*) In mantiſſa docum. ad SCHMIDTII tr. *vom Adel* p. 289.

quod vulgariter Manghot dicitur, poſt diuiſionem hereditatis per mortem feudatarii, non ad fratres ſed potius ad feudi Dominum reuertatur.

§. VI.

Non vero iure Long. in feudo antiquo.

Iuris Longob. in hoc argumento alia principia eſſe, et inter feudum commune *nouum* et *antiquum* diſtingui, iam ſupra vidimus (§. III.). In *illo* nulla agnoſcitur conſortium inter ſe ſucceſſio, ſiue facta ſit feudi communis diuiſio, ſiue ejusdem communio perduret. In *hoc* eorumdem ſucceſſio comprobatur, eo quod ex inueſtitura *primi acquirentis*, a quo omnes eiusdem feudi conſortes deſcendunt, in feudo antiquo ſuccedatur (*a*). Quae ſpecialis iuris Longobardici ratio iure feudali Germanico non agnoſcitur, ex quo nulla eſt agnatorum ex latere coniunctorum in feudo antiquo ſucceſſio, quamquam a primo acquirente deſcendentium (*b*).

§. VII.

(*a*) I. F. 14. §. 2. II. F. 12.

(*b*) I. F. S. art. XXI. I. F. A. cap. XLIII. §. 1.

§. VII.

De diuiſione feudi communis quoad fructuum perceptionem.

Quae cum ita ſint, et feudo communi diuiſo, ſucceſſio in conſortis parte iure Germanico negetur coinueſtitis: res olim rediit ad cautelas, quibus hi ſibi viam ad ſucceſſionem praemuniuerunt. *Principio* ſolliciti fuerunt de impetranda *euentuali inueſtitura*, qua in euentum, quo pars

§. 1. Conf. comment. *de inueſt. ſimult. euent. cap.* 1. *§.* 20. Hanc iuris Longobardici et Germanici differentiam ex vſu ſec. XIII. obſeruat HENRICVS DE SEGVSIO, *Hoſtienſis Cardinalis*, in comment. *ad decret. lib. III. rub. XX. de feud. n. 7. p.* 858. *Natura ſucceſſionis talis eſt, quod aſcendentes in feudo non ſuccedunt, puta pater filio; deſcendentes vero ſic, et primo quidem filius patri et non filia; item nepos ex filio et non neptis, et ſic vsque in infinitum. Poſtea vero ſuccedunt collaterales - - - ſcilicet ſi paternum feudum; in alio enim non ſuccedunt, niſi per pactum.* Addit mox id, in quo a iure Longobardico Germaniae mores recedere obſeruauerat: *De conſuetudine imperii non ſuccedit, niſi filius deſcendens, et immo reuertitur feudum ad Imperatorem, et ipſe confert, cui vult. Sic vidi, quando fui in Allemannia, per proceres iudicari.*

pars feudi diuiſa aperiretur, ſucceſſionis ius conſequerentur: de qua dixi alibi (*a*). *Deinde* de conſeruando *condominio vtili*, in feudo communi ex inueſtitura ſimultanea competente, cogitatum eſt *in ipſa diuiſione*, hac adhibita cautione, vt feudo communi non niſi quoad *poſſeſſionem* et *fructuum perceptionem* diuiſo, ſaluum ceteroquin integrumque inter conſortes ſeruaretur condominium clientelare, ſeruata poſt diuiſionem *ſimultanea inueſtitura.* Eius generis diuiſionem apud Germanos ſubinde ſuſceptam eſſe, ad eamque et prouocandi ius fuiſſe, probat *Ius Feudale Francorum* vulgo *Kayſer-Recht*, *lib. III. art. XI.* cuius ex verſione illuſtris Senckenbergii (*b*) haec verba ſunt: *Si plures ſint heredes, quorum alter diuiſionem feudi non quoad proprietatem ſed quoad vſum fructum flagitat, alter vero ei contradicit, is qui*

(*a*) In cit. comment. cap. I. §. 21. et ſeq. et in tract. *de indole exſpectat. et inueſt. feud.* cap. III.

(*b*) In *corp. iur. feud.* p. 11.

qui diuiſionem fieri vult ſecundum iura Imperii eum cogere debet. De diuiſione in authentico vſurpatur vox *Mutſcharen*, a *Mut*, ſpontanea voluntas, arbitrium, et a *ſchiren*, diuidere, partiri deſcendens (*c*). *Mutſchirung* in ſenſu ſpeciali accipitur pro ea bonorum diuiſione, quae quoad certos dominii effectus fit, ſaluo ceteroquin iure omnium communi (*d*): veluti ſi bonorum ſeparatio fit quoad poſſeſſionem et fructuum perceptionem. In feudo communi ſuſcepta eſt ſaluo omnium coninueſtitorum condominio; vt adeo per eam ſimultanea inueſtitura non frangeretur (*e*). Rem omnem illuſtrat *Ius feudale Francorum* lib. III. art. 12 (*f*). *Ein iclich Man ſal*

(*c*) De origine vocis egit STRVVIVS in *corp. Iur. Publ.* cap. 31. §. 12. p. 11. 79. et CHRIST. GOTTL. HALTAVS *in gloſſ. Germ. medii aeui* p. 1382.

(*d*) Vid. WEHNERVS in *Obſerv. pract.* voce, *Mutſcharen* p. 170.

(*e*) MEICHSNER *tom. III. deciſ.* 9. n. 55. p. 108.

(*f*) Quae ita vertit ill. SENCKENBERGIVS l. c. p. 11. *Quilibet ſcire debet, quod ſi quis*

ſal wiſſin, der gemeyne Lihin recht hat met andern Ludin ader met ſynen geborn Mogen, der mag mutſſchar, ez en ſy met des Kayſers Gebode, wy ez den kompt, ſo vorlibint en dy Ganerbin. Teylet he aber ſe noch des Kayſers rechte, alſo he ez dem Lehin hat geſatzt, vorſterbin den dy eyne Sythen, ſo fallen ſe in des Kayſers Hant.

§. VIII.

Vſus iſtius diuiſionis in conſeruanda ſucceſſione in feudo communi.

Feudi communis conſortes itaque et poſt hanc ſeparationem minusue plenam diuiſionem condomini, *ganerben* (*a*), manebant,

quis habeat feuda communia cum aliquo extra familiam aut cum aliquo ſanguine ſibi iuncto, etiam ſine imperatoris conſenſu, quocunque modo diuiſionem quoad fructus celebrare poſſit, quod ſi factum, nihilominus in condominio manent. Si vero diuiſionem plenam celebret ſecundum iura Imp. in feudis conſtituta, et aliqua pars deficiat, ad Imperatorem deuoluitur.

(*a*) Hoc nomine veniunt coinueſtiti in documentis apud Ill. SENCKENBERGIVM in *Selectis iur. et Hiſt.* Tom. II. p. 39. 40. 46. 49.

nebant, communem inueſtituram conſeruantes, quam vel omnes *coniunctim*, vel nomine omnium *prouaſallus, der Lehnträger*, a Domino impetrabant. Conceſſio condominii clientelaris in feudo communi, quoad fructus diuiſo, ſeruauit *inueſtiturae ſimultaneae* et *coniunctae manus* appellationem, effecitque, vt ſalua et futuro tempore coinueſtitis omnibus eſſet in feudo eiusque partibus ſucceſſio. Et neſcio, an vllum veteris aeui monumentum hanc, quae ad tuendam ſucceſſionem inualuit, ſimultaneae inueſtiturae rationem luculentius exprimat, quam quod ex charta inedita exhibetur in deductionibus, praefecturam Barmſtadienſem concernentibus (*b*), et cuius hic tenor eſt:

" Om-

(*b*) Vid. *An Ihro Kayſerl. Maj. abgelaſſenes allerunterthänigſtens Schreiben der verwitweten Herzogin zu Schleswig Holſtein Gottorp &c. wegen des Amts Barmſtäd übergeben*, *Wien* 1708. in append. lit. Mm. et *Iuſtitia Cauſae Rantzonianae* edit. 1714. Part. II. in app. p. 8. Vtroque loco aliud *eiusdem* omnino *tenoris* exſtat documentum, quo ERICVS I. eosdem Comites Holſatiae de iisdem terris Adol-

"Omnibus praeſens ſcriptum legentibus *Iohannes* Dei Gratia *Saxoniae, Angariae, Weſtphaliae Dux*, ſalutem in Domino ſempiternam; tenore praeſentium recognoſcimus et in publicam proferimus notionem, quod Nos Nobilibus Dominis *Comitibus Holſatiae et Schomborch*, *Gerhardo*, *Iohanni*, *Adolpho*, *Woldemaro*, *et filiis Domini Comitis Henrici*, bonae memoriae, et eorum omnium veris heredibus perpetuo, de heredibus in heredes, totam terram Holſatiae et Stormariae, vniuerſum dominium Domini Comitis *Adolphi de Segebergh*, de quibus erat lis et diſceptatio inter Nos et dictos Dominos Comites vtrobique, contulimus *manu vnanimi, quae ſambte Hand* in vulgo dicitur, iure ſeu titulo feudali, et non obſtante eo, *quod praecedentes terrae et Dominia, ſiue diuidantur, aut ſaltem inter hos Dominos Comites maneant indiuiſa*, nihilominus *cuicunque heredi* dicti Domini Comites, aut eorum heredes, aliquam *partem terrarum*

Adolphi de Segeberg, ſeu de Wagria, *manu vnanimi quae ſampte Hand in vulgo dicitur*, a. 1309. ita inueſtit, *vt non obſtante eo, quod precedentes terre et dominia ſiue diuidantur, aut ſaltem inter hos dominos comites maneant indiuiſa*, nihilominus *cuicunque heredi dicti dni comites aut eorum heredes aliquam partem terrarum aſſignare et diuidere voluerint*, eidem ſe collaturum eſſe promittat, *ſeruata et obtenta manu vnanimi.*

rarum et dominiorum praedictorum *aſſignare et diuidere* voluerint, eidem conferimus iure feudale, *ſeruata et obtenta manu vnanimi*, ſicut ſuperius eſt expreſſum. In quorum euidentiam ſigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Datum iuxta Hamborch et actum anno 1307. in die ſexta Mathei Apoſtoli."

Edocemur his inueſtiturae literis, conceſſionem Feudorum indiuiſorum communium, comitibus Holſatiae *factam*, appellari *ſamte Hant:* pariter atque *coniunctam* ſeu *vnanimem manum* inter coinueſtitos et *poſt diuiſionem* conſeruari ex feudorum largitoris voluntate. Quae hoc modo in portionibus feudi, alterutri coinueſtito ex diuiſione aſſignatis, ceteris conſeruatur communis manus, eadem eſt quae vulgo audit *Saxonica, qua condominium clientelare* futurae ſucceſſionis cauſa eſt omnium coinueſtitorum, *ius vtendi fruendi* vero ſolius poſſeſſoris vaſalli.

§. IX.

§. IX.

Inde repetita origo ſimultaneae inueſtiturae eiusque differentia ab euentuali.

Quae omnia (I.) ſimul euidentius illuſtrant *origines communis Saxonum manus,* quae non minus ac *euentualis inueſtitura* ad conſtituendam conſeruandamque agnatorum ex latere iunctorum in feudo ſucceſſionem adhibita eſt. Inde videlicet inualuit, vt agnati in *communionem feudi* ſeu in eius condominium vtile ſucceſſionis cauſa adoptarentur, quod vulgo dicitur *in die Gemeinſchaft ſetzen;* cuius rei exempla exhibui in comment. de *Simultaneae inueſtiturae euentualis non deſiderata renouatione* §. *XXIV.* et *XXV.* Ex iisdem deinceps (II.) *euentualis* ac *ſimultaneae* inueſtiturae differentiae euidenter apparent, ſiquidem *illa* in euentum, ſi vaſallus poſſeſſor ſine heredibus deceſſerit, collata, *dominium vtile euentuale* in feudo tribuebat, haec vero *purum condominium* da-

bat, vel ex *anteriori vera feudi communione* acquiſitum conſeruabat. *condominium*, inquam, *vſufructu et poſſeſſione feudi*, quoadusque poſſeſſor vaſallus eiusque heredes exiſtunt, *deſtitutum*, vi cuius iura, *ad proprietatem feudi* pertinentia, inter vaſallum poſſeſſorem et coinueſtitos ſunt communia.

§. X.

An hodie ſucceſſio tollatur feudi communis diuiſione?

Principia iuris antiqui Germanici circa feudi communis diuiſionem hodie non obtinent, niſi vbi iure *particulari* vel ex *obſeruantia Curiae feudalis* ſeruata eſſe conſtat: ſeruata autem ſunt in terris, vbi omne ius ſuccedendi ex *ſola inueſtitura ſimultanea* pendet, quae frangitur feudi communis diuiſione; adeo vt ſucceſſio in parte diuiſa non conſeruetur, niſi impetrata ſimultanea inueſtitura (*a*). Iure Longobardico videlicet in Germania inualeſcente, *ſucceſſio ex iure ſanguinis* tanto magis pla-

(*a*) CASP. HENR. HORN in *iurisprud. feudali cap. XVII.* §. 8.

placuit, quanto plus fauet vaſallis. Vnde mirum non eſt, eam perplacuiſſe in allodiorum in feuda oblationibus, in quibus agnatis immo et ſexui ſequiori ſubinde ſpeciatim proſpectum eſſe, infinita oſtendunt exempla. A. 1273. *Ditherus de Molsberg* feudi Archiepiſcopo Treuirenſi oblati, hanc conditionem impetrauerat (*b*), vt ſi ipſi liberi vtriusque ſexus non eſſent, *proximiores ipſius heredes* ſuccederent. A. 1282. *Theodoricus ab Indagine* eidem Archiepiſcopo allodium ea lege obtulerat in feudum (*c*), vt ex ipſius heredibus *proximior* ſuccederet in feudo, idque duraret *perpetualiter*. Quibus rebus effectum eſt, vt ſucceſſione ex iure ſanguinis introducta, feudi communis diuiſio aeſtimari coeperit ex *iuris Longobardici* norma, nihilque obeſſet, quo minus in feudo antiquo diuiſo ſucceſſio daretur agnatis a primo acquirente ſanguinem ducentibus.

(*b*) Vid. Chartam apud IO. NIC. *ab* HONTHEIM in *hiſtor. Treuir. diplomat. tom. I, p.* 82.

(*c*) *Idem* l. c. *p.* 877.

OBSERVATIO IX.

de

inueſtitura per procuratorem.

ARGVMENTVM.

I. *Mores Francorum in fide a Vaſſo praeſente exigenda.*

II. *Rationes obſeruantiae eiusdem in feudis ſeruatae.*

III. *Impedito vaſallo vel indultum datum, vel feudum interim conceſſum, praeſtatione vaſallagii tantum dilata.*

IV. *Vel vaſallo venia facta eſt ab acceſſu ad curiam, inueſtitura aliis demandata.*

V. *Vicaria domini inueſtitura vaſallo in propria perſona facta.*

VI. *Huius eadem vis ac inueſtiturae a Domino factae, niſi fuerit prouiſionalis.*

VII. *Vaſalli procurator non niſi ex ſpeciali ratione admiſſus.*

VIII. *Rationes iuris Longob. in admittendo vaſalli procuratore.*

IX. *Reliquiae iuris Germ. in exigenda vaſalli praeſentia.*

§. I.

Mores Francorum in fide a Vaſſo praeſente exigenda.

Vetus eſt obſeruantia, beneficiorum originibus non minus quam inueſtiturae rationibus congrua, Vaſallum non niſi

prae-

praeſentem feudo eſſe inaugurandum. Perſonalis ſub Francis fuit Vaſallorum ad officia ſpecialia ductu Senioris patriae praeſtanda obligatio, non intuitu *bonorum*, in beneficium datorum, ſed propter ſuſceptum *vaſſaticum* ſeu famulatum contracta (*a*). Vti Vaſſaticum *miniſterii* obeundi, ita et iusiurandum, in fide eius ſancienda vſurpatum, *iurisiurandi fidelitatis* et *ſubiectionis* rationem habuit: quod praeſens ipſe Vaſallus, ad Seniorem accedens, praeſtitit (*b*), *per procuratorem* numquam. Nec auditum vnquam, hominem in Vaſſaticum ſe commendaſſe per Procuratorem. Ecquis *officiali* fas eſſe exiſtimauerit, *procuratorem* adhibere in ſancienda fide, quo vti non licuerat in ea exequenda partibusque Vaſſatici obeundis? *Thaſſilo*, fidem factu-

(*a*) LVD. ANT. MVRATORIVS *Antiquit. Italiae medii aeui tom. I. p.* 552. BOVQVET *Droit Public de France tom. I.* p. 118. LOUIS CHANTEREAU LE FEBURE *Traité des Fiefs. lib.* 2, *p.* 107.

(*b*) CAPITVLAR. III. *a.* 811. *c.* 6. 7. 8. apud BALVZIVM *tom. I. p.* 486. CAPITVL. *Caroli Calui c.* 5. *tom. II. p.* 44.

factuꝛus, more Francorum *in manus regis* in Vaſſaticum *manibus ſuis* ſemet ipſum commendaſſe legitur (*c*).

§ II.

Rationes obſeruantiae eiusdem in feudis ſeruatae.

Sequiori aetate, qua beneficia Francorum *in feuda* abierunt, eadem obſeruantia in *Vaſallis non niſi praeſentibus inaugurandis* ſeruata eſt eo diligentius, quo magis id poſtulare videbatur totius *inueſtiturae* ratio et ſolennitas, ad mutuum inter Dominum et inter Vaſallum affectum teſtandum comparata. Siue enim *ſolennitatem* pompamque eius in feudis imperii praeſertim maioribus ſpectes, quae tam ad *Domini*, in ſolenni parium curia in Solio ſedentis, quam ad *Vaſallorum*, ſplendido ſubuaſallorum comitatu ſtipatorum, dignitatem ſignificandam pertinebat, ſiue ſpectes praecipuos *inueſtiturae* actus, *iurisiurandi*, quo vaſalli religio obſtricta eſt,

(*c*) *Annales Francorum* ad a. 757. relati a CANTARELLO FABRO *l. c. p.* 107.

eſt, praeſtationem, *reuerentiae*, quam vaſallum vel genibus nixum, vel ſceptri vexilli gladiiue tactu aliisue documentis edere oportebat, ſignificationem (*a*), receptionemue eius ad *oſculum Domini* in feudis nobilibus; par omnino eſſe et conuenire videbatur, ab ipſo vaſallo haec omnia exhiberi, nec *vicarium* admitti in his, quae ſpecialem *vaſalli arctius deuinciendi* rationem habebant. Quandoquidem vero nihil magis naturale eſt, quam tacite placere inter contrahentes, quae rei, de qua agitur, conueniunt, eaque ipſo conſenſu tacito in obſeruantiam tranſire; mi-

(*a*) Praeſentiae Vaſalli in requirenda inueſtitura rationem habet *ius feud. Alem. c.* 43. expoſitis ritibus geſtibusue ab ipſo obſeruandis. *Nach des Vatern Tode kumt der Sun, inet Iore und Tage, zu ſinem Herrn, und bietet Ime ſine Mannſchaft mit geſamten (gefalden) Henden, und gang Ime alſo nahe, als er ſtat, das er In gereichen möge. Sizet aber der Herr, ſo ſoll er vor Im knien. Etliche Leute ſprechen, er ſolle dem Herrn die Hende wegen, das iſt nut; wann als der Herre ſtat, oder ſizet, und der Man vor Im ſtet oder kniet, ſo weget ſich aller ſin Lip und auch die Hende.* Vid. *Ius feud. Sax.* cap. 22.

mirum non eſt, antiquum illum morem perplacuiſſe *inter Dominum et Vaſallum*, ſeruatumque eſſe tenaciter, nec facile et *ſine ſpeciali Domini conſenſu* locum factum vaſallis ad inueſtituram per procuratorem ſuſcipiendam. Nec eſt, quod verear, ne quis alias, quam *ſuaſorias* et *conuenientiae rationes* a me proferri deſideret in exponenda obſeruantia, quae non niſi partem facit *ſolennitatis beneficiariae*, et quae poteſt *ſaluo nexu feudali* contraria ratione expediri, et per procuratorem idoneum nomine vaſalli explicari.

§. III.

Impedito vaſallo vel indultum datum, vel feudum interim conceſſum, vaſallagii praeſtatione tantum dilata.

Viguit haec obſeruantia non minus in feudis *prouincialibus* (*a*), quam in *feudis impe-*

(*a*) *Rudolphus* Dux Saxoniae, a. 1356. ad Henricum Abbatem Fuldenſem *perſonaliter veniſſe*, praeſtitoque fidelitatis homagio feuda Fuldenſia accepiſſe legitur in IO. FRID. SCHANNATI *Clientela Fuld.* inter probat. N.

imperii: adeo vt, Vaſallo ex graui cauſa *impedito*, difficulter locus daretur inueſtiturae per Procuratorem ſuſcipiendae, *electis aliis remediis*, quibus impedito ſuccurreretur. *Primo* quidem I. data frequenter ſunt *indulta feudalia*, maxime ſi per aetatem impediretur Vaſallus (*b*). *Deinde* II. *dilata* ſaepius in tempus congruum eſt *vaſallagii praeſtatio*, datis interim *conceſſionis feudalis literis*, inſtar inueſtiturae literarum. SIGISMVNDVS Fridericum Bel-

N. XIII. p. 199. Huc redeunt formulae literarum inueſtiturae: *liplich mit iren Handgebenden Treuen* ibid. N. CCLXV. p. 290. et N. CCCCXVII. p. 324. vel *bona manualiter ſuſcepimus*. ibid. N. CCCXCIX. p. 320. Veteres inueſtiturae literae ipſius Vaſalli inueſtiti et vaſallagii ab ipſo praeſtiti ſemper mentionem faciunt. Conf. V. C. IO. FRID. IOACHIMI *Samlung vermiſchter Anmerkungen obſ. III.* p. 60.

(*b*) *Wilhelmo* Landgrauio Haſſiae, adhuc impuberi, feudorum Fuldenſium conceſſio et indulgentia facta eſt a. 1483. *bis er zu ſeinem ſelbſt regierenden und mundigen Iaren kommen und ſolch Lehen ſelbſt empfahen wird* apud SCHANNATVM loc. cit. inter probat. n. XXXII. p. 210. Conf. I. PETR. DE LVDEWIG de *Prorogatione inueſtiturae cap.* 3. et 5.

Bellicoſum de Electoratu et ducatu Saxoniae inueſtiuit per literas inueſtiturae prouiſionales, datas Presburgi a. 1423. (*c*) quibus inſerta eſt clauſula: *Auch wenn, ob Gott will, derſelbe Marggrafe Friederich zu Vns lieplich komt, ſo wollen Wir ihme daſſelbe Churfürſtenthume vnd Herzogthume zu Sachſen leihen, vnd er ſoll Vns gewöhnliche Huldinge vnd Eyde thuen, als ſolches Lehens-Recht und Gewonheit iſt.* Cum HENRICVS, *Abbas Fuldenſis*, feuda, per mortem vltimi vaſalli Marchionum de Burgaw aperta, filiis ALBERTI I. Romanorum regis, Auſtriae Ducibus, a. 1301. contuliſſet: abſentibus illis dedit *literas conceſſionis feudalis*, fide per *literas reuerſales* Patris Alberti in haec verba interpoſita (*d*): *Promiſimus eidem abbati, vt quando idem Abbas et filii noſtri ſimul conſtituti fuerint, ipſi praedicto abbati homagium fidelitatis facient ſub forma debita et conſueta.*

§. IV.

(*c*) Apud IO. GOTTL. HORN in *vita Friderici Bellicoſi p.* 866.

(*d*) Literas reuerſales exhibet SCHANNATVS loc. cit. *N. VIII. IX. p.* 197.

§. IV.

Vel vaſallo venia data eſt ab acceſſu ad curiam, inueſtitura aliis commiſſa.

III. Porro Vaſallis *impeditis*, vel a curia feudali longo itinerum interuallo *remotis*, ſuccurrebant Domini in inueſtitura ex eorum deſiderio aliis *demandanda*, a quibus *vice Domini* inueſtirentur. *Domino* omnino, maxime ex vaſalli conſenſu, procuratorem vicariumue idoneum adhibere licuit in *danda* inueſtitura, vti *vaſallo* ex conſenſu domini in ea *recipienda*, quamquam vltimum olim contingeret rarius. *Petentibus* imperii Vaſallis id ſaepius datum eſt ab Imperatore, vt ſua auctoritate inſtruxerit alios, inprimis pro dignitate Vaſalli, *vicinos imperii Status* ad inueſtituram vaſallo impedito vicario Imperatoris nomine impertiendam (*a*). Ad preces epiſcopi Raceburgenſis, RVDOLPHVS Rex

(*a*) Quod argumentum docte tractauit CHRIST. GOTTL. BVDERVS in diſſ. de *Commiſſario imperiali in cauſis feudalibus* §. 115. quae extat inter eius opuſcula p. 482.

Rex Alberto II. genero ſuo a. 1285. poteſtatem dedit eundem ſuo nomine inueſtiendi, dato documento huius tenoris: "RVDOLPHVS *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Vniuerſis ſacri Imperii Romani fidelibus, preſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam et omne bonum. Quia libenter Principum noſtrorum votis annuimus, et incommodis precauemus, illuſtri* ALBERTO Duci Saxonie, *principi et genero noſtro chariſſimo auctoritatem concedimus, et in eum plenariam transfundimus poteſtatem, quod ipſe,* recepto a Venerabili Raceburgenſi Epiſcopo, noſtro et Imperii Principe dilecto, fidelitatis ſacramento, ipſum Epiſcopum de Regalibus, feodis, que a noſtris recipere tenetur manibus, vice et nomine noſtro poſſit et debeat ſolempniter inueſtire. *In cuius rei teſtimonium preſentes literas conſcribi fecimus et ſigilli noſtri munimine mandauimus roborari. Datum Schaffhuſa VI. Kal. Octobr. Indict. XIII. Anno Domini MCCLXXX. quinto, Regni vero noſtri anno XII."* In eandem

rem

rem producere liceat exemplum ſec. XV. quo *Rudolpho* III. Saxoniae Duci, inueſtituram *Guntheri*, Archiepiſcopi Magdeburgici, ex huius deſiderio mandauerat Romanorum rex *Sigismundus*.

Wir SIGMVND von Gotes Gnaden Römiſcher Kunig in allen Zceiten merer des Reichs, und zu Vngern, Dalmatien, Croacien &c. Kunig, embieden dem Hochgebornen RVDOLFF, Hertzogen zu Sachſſen und zu Lunemburg, des heiligen Römiſchen Reichs Ertzmarſchalck, vnſerm lieben Ohemen und Kurfürſten *vnſer Gnad und alles gut. Hochgeborner lieber* Oheim *vnd* Kurfürſt. *Wann vnſs von wegen des Erwirdigen GVNTHERS Ertzbiſchoffs zu* Meydburg, *vnſers Fürſten und lieben andechtigen, durch ſein Erbar Bottſchafft fürbracht iſt, daß er mit ſo mannicherley anliegenden ſinen und ſines Stiffts zu Meydburg ſachen und Geſchefften bekümmert vnd beladen ſey*, das er zu uns in vnſern Kuniglichen Houe mit ſin ſelbſt Perſone, vff dieſe Zeite, ye nicht kommen möge, ſine vnd ſins itzgen Stiffts Regalia vnd Wernlikeit vff vnſern Henden zu emphane; *alſs er doch gerne gethan hette; Alſs wir dann des von der vorgenanten ſiner Bottſchafft wol underweiſt ſein; Und*

 wann

wann wir darumb von derſelben Bottſchafft diemütiglich gebeten ſein, demſelben GVNTHER ſine und ſins vorgenanten Stiffts Regalia *und Werntlickei gnediglich zu verleihen, Und wann ſollich Bottſchafft allen und iglichen unſern Kuniglichen Hoffs Amptlüthen* Ihre Rechte, *die ir iglichen nach der Kayſerlichen Geſetzin der* Gulden Bulle *begriffen, von Empfahung wegen Fürſtl. Lehen, geburen, bezahlt* (*), *und ſie darumb volliclich vſsgerichtet hat: darumb, angeſehen des vorgnanten GVNTHERS und ſins Stiffts anliegende Sache und Geſchaffte, und auch die vorgenante bete, haben wir yn von ſunderlichen unſſen Kuniglichen Gnaden überhebt*, daſs er in unſſen Kuniglichen Houe durch Empfahung willen der vorgenanten Regalia und werntlikeite nit kommen bedorffe, *wann wir ym die von Römiſcher Königlicher Macht verliehen haben und verlichen* in Crafft dis Brives, *und befehlen dir auch und wollen*, daſs du den Eyde, der uns von ſolcher Regalia und Lehn wegen zu tund gebuhret, *den du denn in einem andern unſern Brieff, den wir deiner lieben mit dieſem Brive zu antworten befohlen haben, verſloſſen findeſt, von dem vorgenanten GVNTHER* in dyn Hende an unſer Stad, und von unſern und des Reichs

(*) Documentum taxae ſolutae habet LVNIG in *archiv. imp.* tom. 19. p. 282.

Reichs wegen, empfaheſt und nehmeſt, den er auch alſo in dien Hende thun ſoll; Und ym ſolich vorgnante Regalia und Wernlikeite auch verlieheſt one alles vorziehen und wiederſprechen, *und wolleſt auch kein Hindernuſſe oder Irrung durch ymands, wer der ſey, oder durch keinerley Sache willen, herin vallen, tragen, oder kommen laſſen, in kein weiſſ. Als wir dir des vor andern unſern und des Reichs Fürſten, in den Landen wonenden, getrewt haben, und gentzlich getruen. Wann daran tuſt du uns und dem Riche ſunderliche und annemen Dienſte und Wollgefallen. Und wir gebieten auch darumb von Römiſcher Kuniglicher Macht* allen und iglichen Mannen des vorgenanten Stiffts zu Meydburg, *was Eren, Wirde, States oder Weſens die ſind, ernſtlich und veſtiglich mit dieſem Brieff,* daſs ſie Ihre Lehne, die dann von eym Ertzbiſchoff und dem ytzgen Stifft zu Meydburg zu Lehen rüren, von dem vorgenantem GVNTHER als eym Ertzbiſchoff zu Meydburg, empfahen, *und ym auch, an verzihen und wiederſprechen, davon thun ſollen; was dan Manne Iren lieben Herren von ir Lehen wegen pflichtig zu tund ſind von recht oder Gewonheit, das iſt uns von ym wol zu danck. Geben zu Coſtentz vorſigelt mit unſer Kuniglicher Majeſtate Inſigel,*

 nach

nach Chriſts Geburt viertzenhundert Iare und dornoch in dem ſiebenzehenden Iar, des negſten Dienſtages nach ſanct Vlrichs Tage, unſer Reiche des Vngriſchen &c. in dem ein und dreyſſigſten, und des Römiſchen in dem ſiebenden Iare. Quae quamquam ad obſeruantiam *in feudis imp.* illuſtrandam tantum pertineant: eiusdem tamen exempla non minus in *feudis prouincialibus* occurrunt. In *literis Reuerſalibus* de a. 1463. *Burchardus de Hannenzee* valetudine impeditus, a *Bernhardo*, Duce Saxo-Lauenburgico, gratiam ſibi factam eſſe agnoſcit in inueſtitura per procuratorem largienda, in cuius manus ipſe praeſtiterat Vaſallagium. Eck Borchard van dem Hanenzee bekenne openbar in duſſen breue vor mek und myne eruen, dat ik van dem hochgeborn Forſten und heren BERNDE to Saſſen, Engern und Weſtphalen Hartogen, des hilgen Romeſchen rikes Ertzmarſchalke entphangen hebbe *to eynen rechten eruen man lene* ver houe land belegen opp dem velde to *Herberge* myt all oren tobehoringen, ſo dat de breff vthwiſet, dar mek ſyne gnade inne belenet hefft. Vnd hyr enyegen ſchal ik und myne eruen unſer gnanten Heren und ſyner eruen denſtmanne, und en truwe und holt weſen, und ſchullen uns to ſynen gnaden holden, alze van rechte eyn belenet man ſynem rechten lenheren plichtich is, *Und dat*

hebbe ik myt vppgerichteden vingeren ſtauedes edes to den hilgen ſworen, und den eyt hebbe ik to des vorſcreuen mynes gnedigen Hern behoſſt gedan dem Erſamen Segherde Graſſow, ſyner gnade ſcriuer und Cappellane, na deme alze ik van twatheyt nicht ſuluen perſoneliken to ſynen gnaden komen konde. To bekantniſſe hebbe ik myn Inſegel an duſſen breff gehengen na Chriſti gebort unſes hn verteyn hundert Im dre und ſeſtigeſten Iar am ſondage Reminiſcere.

§. V.

Vicaria inueſtitura vaſallis in propria perſona facta.

In hoc inueſtiendi modo duplici viſioni locus eſt. *Altera* eſt, vaſallos, quibus ita ab acceſſu ad Curiam Imperialem venia facta eſt, nihilominus ad ſacramentum fidelitatis coram Commiſſario imperiali *in propria perſona* praeſtandum obſtrictos fuiſſe, indeque rationem praecipuam negatae illis facultatis, per procuratorem inueſtituram petendi, in *iureiurando fidelitatis* poſitam eſſe, quod in *animam alterius* per procuratorem praeſtari

 poſſe,

poſſe, nondum agnitum fuit. Euidentius id apparet ex documento, *bibliothecae hiſtoricae Gottingenſi* a CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDTIO p. 133. inſerto, in quo Carolus IV. Ottonem et Wilhelmum, fratres, Luneburgenſium Duces, abſentes inueſtiens, *vos*, inquit, *de acceſſu ad regalem curiam noſtram et de fatiga itinerum dignum duximus de regia benignitatis gratia ſupportare, ideoque vobis et cuilibet veſtrum Principatus, terras, dominia, vaſallagia et omnes poſſeſſiones veſtras - - - auctoritate Romana Regia damus, conferimus et donamus, conditione nihilominus infra ſcripta* (quae concernit praeſtationem ſolius Vaſallagii coram commiſſariis imperialibus deſignatis, quemcunque eorum adire placuerit, faciendam,) *quod vos in perſonis propriis ad manus illuſtrium Rudolfi Senioris Ducis Saxoniae S. R. I. Archimareſchalli et Magnopolenſium Ducum, nec non Venerabilis Caminenſis Epiſcopi, Principum noſtrorum, ſeu alterius ex ipſis, quem commode poſſitis accedere, nobis et praedicto Imperio omagii,*

obe-

obedientiae et ſubiectionis debitae debeatis praeſtare et facere ſolita debita iuramenta. Eiusdem moris exempla ſuperſunt ſub Carolo V., qui cum de regalibus inueſtiret Henricum Epiſcopum Raceburgenſem per literas a. 1521. datas (*a*): in his nominatim conſtituit, vt iuramentum fidelitatis ab eo in manus Alberti Ducis Megapolitani praeſtaretur. *Der gemelt unſer Furſt von Ratzeburg ſoll auch dem Hochgebornen Albrecht Hertzogen zu Mecklenburg, Vnſern lieben Oheim und Furſten, in einem Iahr nachſt nach dato dieſs Brieffs folgend, an Vnſer Stadt und in Vnſern Nahmen von der Gemelten Regalia und Lehen wegen, gewohnlich Gelubd und Eyd thun, als einen Furſten des Reichs gebuhret.*

§. VI.

Vis inueſtiturae vicariae.

Altera viſio eſt, inueſtituram coram *Commiſſario Imperatoris* ſuſceptam, eamdem vim habuiſſe, ac inueſtituram in *Curia*

(*a*) In LVNIGII *archiv. Imp. tom. IX. p.* 501.

Curia Imperiali datam, niſi aliud placuerit committenti: id quod tum ratio inueſtiturae, *vicario Domini nomine* peractae, tum documenta §. IV. propoſita luculenter euincunt. Addimus aliud documentum, in quo haec vis inueſtiturae in feudis prouincialibus agnoſcitur: cum *Woldemarus*, Marchio Brandenburgenſis, *per procuratorem* inueſtiret Guntheri Comitis de Kevenberg coniugem de caſtro et ciuitate Luchow in vim futuri vidualitii.

WOLDEMARVS dei gratia *Brandenburgenſis* et *Luſatie* Marchio, nobili domine, *Mechtildi*, *Comitiſſe* in *Kevernsberg* et in *Luchowe*, ſincere promotionis deſiderium cum affectu. Tenore preſentium tibi conferimus caſtrum et ciuitatem *Luchowe*, cum vniuerſis bonis, villis, vaſallis ac hominibus, cum omni iure, honore, commodo et libertate, et diſtinctionibus, ſicut nobilis vir, dominus *Guntherus comes* de *Kevernberg* et de *Luchoue*, *tuus conthoralis*, a nobis in feodum tenet, *iuſti dotalitii nomine* pacifice poſſidendum: mittentes tibi *pheodum* ſeu *inueſtituram* predictorum omnium, et eorum cuiuslibet, per GEVEHARDVM dictum de *Dannenberg*, *famulum*, *noſtrum*

noſtrum vaſallum, *et volentes hanc inueſtituram, tibi, per dictum famulum, ad id noſtrum ſpeciale habentem mandatum, preſentandam, non minus ſolemnem, ratam et gratam cenſeri, quam ſi fores per nos preſentialiter inueſtita.* In cuius rei teſtimonium preſentem tibi dari fecimus literam, noſtro ſigillo ac annotatione ſubſcriptorum teſtium, ad hoc rogatorum ſpecialiter, communitam. Teſtes vero ſunt hii: Venerabilis pater Dominus noſter Borcardus ſancte Magdeburgenſis eccleſie Archiepiſcopus. Illuſtris princeps Dominus Otto dux Brunſwicenſis, noſter auunculus. Reuerendus Pater Dominus Henricus, Eccleſie Hauelbergenſis Epiſcopus. Nobiles viri: Otto de Valkenſtein. Buſſo de Mansvelt. Garduinus de Hadmersleue, *Comites.* Droyseco noſter dapifer. Guncelimus et Buſſo de Berteusleue. Frihſo et Henricus de Schepeliz. Redeko noſter Marſcalcus, *milites.* Euerardus Prepoſitus Berlinenſis et Hermannus de Luchowe, *noſtri Capellani*, cum aliis fide dignis. Datum *in caſtris ante Arksleue*, in noſtra preſentia, Anno Domini M. CCC. XIX. feria tertia proxima ante diem S. Marie Magdelene.

Nonnumquam vero inueſtiturae *prouiſionalis* ſeu *interimiſticae* rationem tantum habuit, idque ex ſpeciali ipſius Impera-

wegen, die In anrürende ſein, als wir des von dir und an andern küntlichen unterweiſet ſein, zu Vns nicht komen macht und mag, zu empfahen die Lehen ſeines Fürſtentums von Uns, als einem Romiſchen Kunig, als er von Recht und Billigen ſoll, die von Uns und dem Reiche rürende ſein: Datur deinde Alberto Saxoni mandatum de inueſtiendo et de exigendo fidelitatis iureiurando. *Dir ganzen Gewalt und Macht gegeben, von Unſern und an Unſer Statt zu verleyhen dem ehegenanten Friderichen ſeyne Furſtenthume und Herſchafften zu Braunſchweig mit allen iren Zugehörungen, als die von uns und dem Reiche zu Lehen rüren und er die hergebracht hat, doch alſo daſs du vor gewohnlich Huldigung Eide und Glöbde von Im in unſern Handen innehmeſt, daſs er uns als einem Romiſchen Kunig hold getrew getrew und untertenig ſey, unſern Schaden zu wenden und unſern frommen zu werben, und gen uns zu tun, daſs er durch Recht oder Gewonheit zu tun pflichtig iſt.* Additur tandem monitum, vt quam primum

per

per legitima Impedimenta licuerit, ipſe Dux Curiam imperialem inueſtiturae ab ipſo Caeſare ſuſcipiendae cauſa peteret. *Wenn auch derſelbe Friedrich von ehaftiger not und Geſcheffte* mag angende, (forte *wegen könte*,) *ſo ſoll er ſelber zu Uns kommen zu emphahen von Uns ſelber ſeine Lehen, als das billichen Recht und gewonlich iſt.*

§. VII.

Vaſalli procurator ex ratione ſpeciali tantum admiſſus.

Sed haec quidem ad *diſciplinam feudalem medii aeui* pertinent; quae et in feudis imperii diu viguit, effecitque, vt procurator vaſalli ad inueſtituram non admitteretur, niſi ex ſpeciali domini conſenſu. Indulgentiores domini fuerunt in admittendo *vaſalli procuratore*, vbi vel *feudi* qualitas vel *vaſallorum conditio* id velle videbatur. In inueſtitura *feudi iniurati* id obſeruatum eſt frequenter, vaſallo iurisiurandi religione non obſtricto (*a*). Idem vſu

(*a*) Vid. CHRIST. GOTTL. BVDERI *amoenitates*

vſu venit in feudis, quae *Superiores digni-tate* ab inferioribus vel Status imp. a *con-ſtatibus* tenebant. Exemplo ſunt feuda *officialium hereditariorum Epiſcopatus Bam-ber-*

nitates iuris feud. obſ. VIII. de feudo iniu-rato. Nobiles de Cramme in literis, ad *Prae-poſitum eccleſiae Hildeſemenſis a.* 1400. datis, mandatum ſpeciale dant ad inueſtituram *feu-di* olim *iniurati*, intuitu cuius aduerſus antiquam obſeruantiam exactum erat iusiurandum. Vnſen willegen underdanighen denſt tovoren. Erwerdige Here, her Domproueſt. Alſe we hadden to gik geſant deſſen ieghenwerdigen unſen Scolemeſter, unde leten den ſynnen an iuwen gnaden Lenware, des hefft he uns bericht, wu gi ome hebben gheſecht, dat gi nemende mit ienigherleye gut willen belyen, he eder iemet von ſiner wegen de en hebbe gik Hulde ghedan. Des bidde we Iuk to wetene, dat we, noch unſe Elderen des nünene wonheit hebben ghehat. Ok en is dat von uns nü geeſſchet. Konde gi uns des nu ok vordragen, dat were uns von gik wel to danke. Doch bouen alle dingh mach dat mit gnaden nicht anders weſen; ſo hebbe we Fricke von Valbeke Tile unde Hermen, broder, gheheten de Kramere unde Henrik Kruſe, Borger to Helmenſtede, desſeme ieghenwerdigen Frederkes Kalſtorpe, unſeme Scolemeſter, macht gegheuen to entfangende van Iuwen Gnaden von unſer wegen de Leen ouer verhoue, eyn iſlik to tem ſynem, unde gik hulde to donde von un-ſen

bergenſis, quae Electores antiquiores ſeculares non ipſi, ſed per procuratores, acceperunt (*b*). In inueſtitura feudorum *gentilitiorum* ſolenne fuit, vt *Senior* familiae nomine et ex mandato omnium, qui ſunt de familia, inueſtiretur (*c*).

§. VIII.

Rationes iuris Long. in admittendo vaſalli procuratore.

Iura feudalia Longobardica facillima ſunt in admittendo *procuratore ad inueſtituram*,

ſer wegin, alſe eyn Man ſinem Leenheren von Lens wegen plichtich is. Vnde wat he der enne deit, dat wille we ſtede unde vaſt holden, recht alſe we dat ſuluen deden. Vnde betughen dat mit Fricken Walbeker unde Tilen Kramers Ingeſegeln, de we hebben drucket laten up deſſen Bref, unde der we hir alle to bruken. Gegheuen na godes bord in dem verteynhunderſten Iare, in ſinte Lambertes dage des hilgen Mertders unde Biſſchoppes.

(*b*) Vid. CAROL. GVIL. GAERTNERI *diſſ. de S. R. I. Electorum inprimis Saxoniae feudis et officialibus Bambergenſibus* §. 14. p. 31. et BVDERI diſſ. de *feudis officialium haereditar. cap. VI. §.* 3.

(*c*) Exempla expoſui in diſſ. de *inueſt. ſimult. euentualis non deſiderata renouat. cap. IV. §.* 36.

turam, palamque conſtitutum eſt (*a*), nihil intereſſe, *vtrum ipſe vaſallus*, *an alius pro eo inueſtituram ſuſcipiat*, *cum poſſit hoc negotium et per procuratorem ab vtraque parte expediri.* Non deſunt huius diſpoſitionis rationes; modo animo reputemus, introducta firmataque feudorum ſucceſſione, *obligationem ad fidelitatem*, lege et contractu feudali conſtitutam, *ipſo iure* transire in *feudi ſucceſſorem*, eiusque vinculum *poenis feloniae* vehementer conſtrictum eſſe munitumque. Inde enim dubitatum non eſt, quin *vel* ipſius *iurisiurandi praeſtandi gratia* fieri poſſit vaſallo, prout contigit in feudis *iniuratis* (*b*), *vel* admitti queat procurator in explicanda hac ſolennitate, maxime cum vigeret *iuris Canonici* principium, iurisiurandi, ex alterius idoneo mandato in *animam ipſius* praeſtiti, eandem vim et poteſtatem eſſe ac iurisiurandi, per *ſemet ipſum* praeſtiti.

§. IX.

(*a*) *II. F.* 1. *ſ.* 3.

(*b*) *II. F.* 3. *in f. II. F.* 24. *ſ.* 1. *II. F.* 47. *in f.*

§. IX.

Reliquiae iuris Germ. in exigenda vaſalli praeſentia.

Iure Longobardico pro *iure communi* per Germaniam recepto, eadem diſpoſitio tam in feudis *prouincialibus*, quam in *imperii feudis* maxime inde a ſec. XV. adoptata, habitumque ſenſim eſt pro *iure communi*, *Vaſallorum ius eſſe inueſtituram per procuratorem petendi et ſuſcipiendi* (*a*). Superſunt tamen paſſim priſtinae obſeruantiae Germanicae veſtigia et documenta. Primo enim iure *particulari* nonnullarum *curiarum* feudalium ſeruatus eſt antiquae obſeruantiae rigor in exigenda *vaſalli praeſentia* in feudi inueſtitura: eoque iure *Saxones* vtuntur (*b*). Deinde etiamſi

(*a*) ROSENTHAL *de feudis c.* 9. *concl.* 9. HORN *in iurispr. feud. c.* 12. *§.* 23. STRVVIVS *in Synt. iur. feud. c.* 8. §. 7. CHRIST. LVD. L. B. DE SENCKENBERG *de feudis Brunsuicenſ. c.* 3. *§.* 23.

(*b*) HORN l. c. §. 23. vid. Conſtitutiones Electorales Sax. in *Cod. Auguſt.* tom. I. *p.* 1962. 1969. 1971. Conf. SCHANNATI Clien-

amſi in *feudis imperii* agnita ſit nouisque legibus firmata vaſallorum imp. libertas in inueſtitura per legatos et per procuratores ſuſcipienda, ſiue de eius *renouatione* ſiue de *prima inueſtitura* quaeratur (*c*): vſu tamen inualuit, vt, quod ad *priſtinae* illius *obſeruantiae reliquias* pertinet, qualemcunque *abſentiae excuſationem* allegare teneantur. *Ritus* et *ſolennitatis* rationem habet haec excuſationis allegatio: neque enim de *veritate* excuſationis cauſae quaeritur, nec poteſt *abſenti* admiſſio procura-

Clientela Fuldenſ. P. 2. c. 2. §. 3. 4. p. 35. et IO. AD. KOPP *Proben des Teutſchen Lehn-Rechts tom. I. obſ. IV.* §. 3.

(c) *Ordinat. Iud. Imp. Aul. tit. III.* §. 8. agit de procuratoribus ad inueſtituram *ſo offt die Reichs-Lehen zu emphahen oder von neuen zu empfangen.* Per procuratores feuda imperii ſuſcipi, adeo certum eſt, vt iam conſtitutiones emanauerint de qualitate *legatorum* ad feuda imp. maiora requirenda mittendorum: quas inter eſt Edictum de a. 1659. et de a. 1688. aqud VFFENBACHIVM de *iudicio Imperiali aul.* in mantiſſa n. 3. p. 4. et in LVNIGII *archiuo Imp. Part. gener. Cent. II.* p. 1176. et *Capitulatio Caeſarea nouiſſ.* art. IX. §. 4. Vid. IO. IAC. MOSERI *Einleitung zum Reichs-Hoffraths-Proceſs* P. III. c. 4. §. 54.

curatoris denegari, *iure communi* quippe approbata. Denique ne hoc quidem ritu ſe obſtringi paſſi ſunt Status Imp. *dignitate regia* diſtincti: ex eoque euenit, vt *Electores* propter *regios honores*, iisdem lege publica tributos, *immunitatem* ab eodem ritu hodienum diligenter vrgeant (*d*).

(*d*) *Selecta iuris publici nouiſſima Part.* XXIII. *art.* I. §. 5. p. 32. *et Part.* XXXI. *art.* I.

OB-

OBSERVATIO X.

de obligatione domini in renouatione inueſtiturae ſine difficultate concedenda.

ARGVMENTVM.

I. *Fundamentum obligationis ad dandam inueſtituram.*
II. *Obligatio domini de ea danda ſine difficultate.*
III. *Quomodo difficilis reddatur inueſtiturae renouatio.*
IV. *Difficultas circa eam innocua eſt iuribus vaſalli.*
V. *Difficultas, ex aliorum contradictione nata, tollitur inueſtitura prouiſionali.*
VI. *Lite mota, Victori in poſſeſſorio, danda eſt inueſtitura in poſſeſſorio.*

§. I.

Fundamentum obligationis in danda inueſtiturae renouatione.

Conſtituto feudo, *dominus directus* perinde obligatur ad *inueſtiturae renouationem concedendam*, ac vaſallus ad eam petendam. Eſt illa obligatio ipſa lege

 con-

conſtituta, ad nexum feudalem inter dominum et vaſallum illaeſum ſeruandum; qui vtique ſeruatur ob mutuam iurium et obligationum, quae in ea interuenit, agnitionem. Vt vero dominus eam impertiri obligetur: vaſallo tum ius feudi conſtitutum, tum eiusdem inueſtituram iuſto tempore ab eo petitam eſſe oportet. Agitur enim in inueſtiturae renouatione non tam de iure feudi acquirendo, quam potius de confirmando iure, vi *anterioris inueſtiturae* conſtituto, ſiue hoc ex prima maiorum, ſiue ex ſimultanea, ſiue ex quacunque alia inueſtitura proficiſcatur. Itaque pro illa impetranda ius vaſalli in feudo competens legitime oſtendi neceſſe eſt: quamquam haec probatio non eo modo ſuſcipienda ſit, quo eam inter litigantes, ſed quo eam *inter contrahentes*, mutuo affectu iunctos, inſtrui par eſt, propoſitis documentis argumentisque, ex quibus de caſu mutationis ſucceſſionisque ad vaſallum delatae apparet: id quod vtplurimum exhibito *documento mortis* vltimi vaſalli edi-

editisque *literis inueſtiturae nouiſſimis* peragi ſolet.

§. II.

Obligatio domini in renouatione inueſtiturae ſine difficultate concedenda.

Cum fidelitas Domini in officiis verſatur vaſallo ex lege vel ex contractu feudali praeſtandis: tum eadem continetur obligatio domini ad dandam inueſtiturae renouationem. Si principii ad inſtar habetur, *dominum in omnibus vicem reddere debere vaſallo* (*a*); dubitari profecto nequit, dominum ad concedendam inueſtituram perinde obſtringi, ac vaſallum ad eam petendam obſtrictum eſſe conſtat (*b*). Inter vtramque obligationem illud tantum intereſt, quod officium *vaſalli* in ea petenda *definito tempore annali* circumſcriptum ſit, *domini* vero in ea largienda obligatio prius non intelligatur, quam probato

(*a*) II. F. 6.

(*b*) II. F. 26. §. 22. II. F. 47. *Gabr.* SCHWEDERVS *de felonia domini* §. 8. 9.

bato iure feudi, vi anterioris inueſtiturae conſtituto, eiusdemque renouatione legitime requiſita. Tum vero praeſtitis omnibus, quae vaſallum pro ea impetranda ex lege vel ex obſeruantia praeſtare par eſt, dominus inueſtiturae renouationem ſine difficultate concedere tenetur. PHILIBERTVS *Carnotenſis epiſcopus*, inter eos, qui de *fide clientelari* ſec. XII. aliquid tradiderunt facile primus, inter *mutuae fidelitatis officia*, quibus et dominum clienti ſuo vicem reddere oportet, recenſet *officium facilitatis* (c), ne videlicet alter alteri efficiat difficile, quodcunque ad alterius iura et commoda pertinet. Si vero ad iura vaſalli intuitu feudi competentia pertinet ius exigendi inueſtituram: dominus certe difficultates mouere non debet in ea impertienda. Quod facilitatis officium in danda feudorum imperii inueſtitura luculenter et ſuccincte inſtruitur his *capitulationis Caeſareae* verbis *art. XI.* §. 1. 2. *Wir haben und wollen auch die Lehen und Lehen-Briefe derer Churfürſten Für-*

ſten

ſten und Ständen des Reichs, (die unmittelbare Reichs-Ritterſchafft mit begriffen) und andern Reichs-Vaſallen jedesmal nach dem vorigen Tenor, in ſo weit nicht die inzwiſchen von Seiten dererſelben vorgekommene beſondere Umſtände eine andere Einrichtung erfordern, unweigerlich und ohne alle contradiction (als welche zum rechtlichen Austrag zu verweiſen) ohngehindert wiederfahren, dabei auch dieſelbe mit edition der alten pactorum familiae nicht beſchweren, vielweniger die Reichs-Belehnung wegen erſtgedachter edition der pactorum familiae, die ſeyen neue oder alte, noch wegen der illiquiden und ſtrittigen Lehen-Taxen oder Laudemial-Gelder und dergleichen aufhalten.

§. III.

Quomodo difficilis reddatur inueſtiturae renouatio?

Difficilis redditur inueſtitura, cum Dominus praeſtari ea vel promitti a vaſallo deſiderat, quae *intuitu feudi* vel *inueſtiturae* praeſtare vaſallus non obligatur, *di-*

 latione

latione vel *denegatione inueſtiturae* in remedium propoſita ea ab hoc obtinendi. Difficultatibus, intuitu inueſtiturae motis, accenſetur deſiderata *editio documentorum pactorumque familiae*, a quibus ius ſuccedendi vaſalli in feudo non dependet, nec non deſiderium Domini de *antiquis inueſtiturae literis in praeiudicium vaſalli immutandis.* Nec a difficultate alienum eſt illud, cum vel nimis acerbe ex formula antiqua exiguntur *ſolennia*, quae pugnant cum *honore vaſalli*, ab *ipſo Domino* publice agnito, et quae ideo moderari nouioris iuris analogia iubet; vel cum *negantur vaſallo honores*, inueſtiturae intuitu debiti. De difficultate intuitu inueſtiturae ſibi mota a. 1721. conquerebantur *Comites Stolbergenſes*, cum ipſis ab *Epiſcopo Herbipolitano* negaretur honor currus ſeiugis obſeruantia probatus in acceſſu ad inueſtituram a Domino accipiendam (*a*). Grauis intuitu inueſtiturae difficultas mouetur,

(*a*) LVNIGII *corp. iur. feud. tom. I. p.* 1599. N. 27. 28. 29. 30. 31.

uetur, ſi ab eius denegatione remedium quaeritur, *exigendi inuſitata laudemia* aliaque, quae intuitu feudi non debentur. Cum in facto contingeret, noluiſſe dominum alia lege dare inueſtituram, quam facta a vaſallo promiſſione de permittendo ſacrorum in praedio feudali non receptorum exercitio: iniuſte eo nomine moram in inueſtiendo necti ac inueſtituram negari, reſponſum eſt a B. Parente in *Conſultat. et Deciſ. tom. I. P. I. reſp. VII. qu.* 1.

§. IV.

Difficultas circa eam innocua eſt iuribus vaſalli.

Sed quaecunque demum vaſallo in impertienda inueſtitura a domino moueatur difficultas, *cauſa vaſalli* ſalua eſt, ſimulac ipſe officio in ea *legitime petenda* defunctus eſt; nihilque ipſe ex eius denegatione metuendum eſt incommodi in iuribus, feudi intuitu competentibus. Cauſam vaſalli ex moribus Germaniae tuetur *ius feud.* ALEMAN. *c.* 3. et non modo ob dene-

denegatam inueſtituram, *perinde ac ſi data eſſet*, ius feudi perfecte acquiſitum eſſe definit, ſed et vaſallum ab *vlteriori inueſtiturae petitione* liberum, eumque a *ſeruitiis feudalibus* praeſtandis i munem pronuntiat. *Obe der Herre zu Vnrecht wegert, das er in zu Mann nut emphahen will, er ſoll behalten ſine Gut, do er ſine Manſchaft het umbe gebotten, und ſoll ſitzen one Dienſt, und darf ſines Guts nüt me geren, diewile er ſiner Manne zwen zu getzugehet.* Idem exponit VETVS AVCTOR *de beneficiis* §. 48. *ſi renuerit dominus ſuſcipere hominium illius, homo bona abſque ſeruitio habebit, pro quibus hominium praebuit: nec vnquam eget poſtea ab illo domino bona haec ſuſcipere, quam diu dominus ſibi renuit, et in filium ſuum ea hereditat.* Exemplum inueſtiturae *difficilioris redditae* dedit ſuperius ſeculum, cum *Victori Amadaeo*, Sabaudiae Duci, inueſtitura *Marchionatus Montisferatenſis*, pactis publicis promiſſa saepiusque petita, negaretur ideo a *Leopoldo* Imp., quod nondum praeſtitiſſet Rex Galliae, quam

in ſe ſuſceperat eorum, qui in eundem Marchionatum ſibi ius eſſe contendebant, ſatisfactionem. Duce Sabaudiae tandem ea de re apud *Collegium Electorale* conquerenti, datum eſt a. 1664. ab Auguſtiſſimo collegio *documentum ſaluatorium*, quo declaratum eſt, *Ducem Sabaudiae ad vlteriorem inueſtiturae requiſitionem durante vita Imp. Leopoldi non teneri, ſaluaque ipſius in Marchionatum Montisferatenſem iura eſſe, perinde ac ſi actualem inueſtituram ab Imperatore impetraſſet* (a).

§. V.

Difficultas ex aliorum contradictione mota tollitur inueſtitura prouiſionali.

Non minima ſubinde in inueſtiendo difficultas oritur ex controuerſia de feudo ab aliis mota: quo loco duae ſunt quaeſtiones ſecernendae, prout contro-

uerſia

(a) Vid. LVNIG *Archiv. Imp. Part. ſpec. Conſ.* II. *fortſ.* 2. *tom.* X. *p.* 126. Hiſtoriam huius infeudationis recenſet PFEFFINGER *ad Vitriar. lib.* 2. *tit.* I. *Tom.* II. *p.* 949.

uerſa vel in *litem* iam abiit in *iudicio* motam, vel haec ea de re *nondum eſt inſtituta.* Vltimo caſu inueſtiturae renouatio neganda non eſt ei, qui ius in feudo ſibi conſtitutum eſſe oſtenderit, cum hoc *illiquidum* non reddatur ex oppoſitis contradictionibus. Cautum ideo eſt in *Capitulat. Caeſar. art. XI.* §. 1. ideo haud diſſerendam eſſe inueſtiturae renouationem, ſed contradictionis ei oppoſitae cauſas in *iudicium ſeparatum* reiiciendas. Quae vero tum impetratur inueſtitura, *prouiſionalis* tantum eſt vi iuris praeſumtiui, in feudo ſuccedendi, data tamdiu, donec ius potius euictum ſit a contradictore. Nec haec aliena eſt ab indole renouationis inueſtiturae, qua tantum confirmatur ius vi anterioris inueſtiturae competens, nouum vero non tribuitur, ideoque ſaluo cuiuscunque tertii iure fieri intelligitur. Quae hodie prouiſionalis dicitur, appellata olim eſt *infeudatio per modum communem*: neque enim incognita eſt *confirmatio priuilegiorum in forma communi*,

nouì

noui iuris nihil tribuens (*a*), cuius naturam illa imitatur. Producimus hanc in rem chartam GODEFRIDI, *epiſcopi Mindenſis*, de a. 1311. ex qua infeudationis, *per modum communem* factae, vis et poteſtas intelligitur.

Godefridus Dei gratia Mindenſis eccleſie epiſcopus. Vniuerſis, ad quorum noticiam peruenerint preſentes litere, ſalutem, et eorum noticiam, que ſequuntur. Nouerint vniuerſi, quod, cum Euerhardus, dictus Rumeſcottele, *miles, ratione infeodationis eidem a nobis facte* per modum communem, quo nos vaſallos, excluſo cuiuslibet preiudicio, inpheodare ſolemus, *decimas noualium in Mundere, vbi dimidietatem maioris decime idem miles obtinet, ſibi vendicaret, et violenter aſſumeret, aſſerendo, ſe ipſas a nobis in pheodo recepiſſe, religioſi viri, abbas et conuentus Monaſterii de Campo Sancte Marie, ordinis Ciſtercienſis, quibus reliqua medietas eiusdem maioris decime pertinere dinoſcitur, prefato militi coram nobis mouerunt ſuper huiusmodi violentia queſtionem. Qui miles, cum ad* iudicium *noſtrum* pheodale *Mindam a nobis citatus minime compareret; Nos ex parte monaſterii ſupradicti de*

(*a*) C. 1. 4. 7. X. *de confirmat. vtili.*

de iuſta poſſeſſione dimidietatis maioris decime ſupradicte, ac proprietate tocius eiusdem ſufficienter edocti, matura deliberatione prehabita, cum prefatus miles in ipſis decimis noualium nihil iuris omnino obtineret, ad huius deciſionem litis predictas noualium decimas, in quantum ipſius decime maioris dimidietatem contingunt, Religioſis viris Abbati et conuentui ſupradictis interpretatione fauorabili duximus adiudicandas, et easdem ipſis in perpetuum pro eorum religioſitatis deuotione libere condonamus: dantes has noſtras literas noſtro ſigillo munitas in teſtimonium ſuper eo. Datum Minde in craſtino beati Gorgonii martiris, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo undecimo. Et nos Bruningus Decanus totumque Capitulum ecclesie Mindenſis donationi per Reuerendum inChriſto patrem ac dominum noſtrum Epiſcopum ſuperius facte liberaliter et concorditer in omnibus aſſentimus, et aſſenſum noſtrum per appenſionem ſigilli noſtri preſentibus declaramus. Datum vt ſupra.

Vti ad preces eius, qui inueſtituram impugnat, hodie ſubinde *ſaluatorium* dari ſolet, ad ſignificandum eo euidentius, inueſtituram ſaluo ipſius iure factam eſſe: ita et in ipſius ſecuritatem *literas reuerſales*

les ab inueſtito exigi, docet MOSERVS (*b*). Pari ratione olim ob litem imminentem exacta eſt ab inueſtito promiſſio, *de feudo in caſu, ſi ſuccubuerit, reſtituendo.* Eius rei exemplum occurrit in literis inueſtiturae CONRADI, *epiſcopi Hildeſemenſis*, de a. 1230.

Conradus dei gratia Hildenſemenſis Epiſcopus omnibus hoc ſcriptum audituris vel inſpecturis ſalutem in domino. Ad noticiam omnium volumus peruenire, quod bona quedam, Helperte *ſita, et a domino Haltone de Biwende nobis reſignata, porreximus* Lippoldo *et Thiderico fratribus de Eſſcherte titulo feodi;* ſi tamen porrigere poteramus. *Quod dicimus propter quandam matronam, ſororem Lamberti de Helperthe,* bona eadem, vtpote ſuum feodum, repetentem. *Promiſerunt autem data fide in manus noſtras et Siffridi de Borſem de Bertoldi de Holle, dapiferi noſtri, Lippoldus de Eſſcherte et Tidericus frater ſuus, et Hugo de Inſula, Engelbertus de Dalem, Ludolfus camerarius noſter, Conradus marſcalcus noſter, Lippoldus iunior de Veteri foro, quod antedicti L. et Th. fratres beniuole ac ſine petitione reſtauri cedant de iisdem bonis,* ſi forte

(*b*) In *Reichs-Hofraths-Proceß. tom. III. c. 4. p.* 637.

te contingat, premenioratam matronam dictante iuſtitia obtinere. *Preterea promiſerunt iidem milites, iuxta facultatem et vires ſuas omnimodo nos iuuare, ſi forte propter ſepedicta bona quiſpiam nos attemptauerit moleſtare. Teſtes huius ſunt antedicti milites et alii quam plures. Actum in pomerio noſtro Hildenſem. anno domini M CC. XXX. III Idus Maii pontificatus noſtri anno IX.*

§. IV.

Lite mota, victori in poſſeſſorio danda eſt inueſtitura in poſſeſſorio.

In altero caſu, quo feudum litigioſum redditur ob litem de eo in *iudicium* deductam, iuſta interuenit cauſa inueſtituram differendi, cum lite pendente nihil ſit innouandum. Intereſt tamen, vtrum lis de feudo mota ſit in *poſſeſſorio*, an in *petitorio.* Cauſa poſſeſſionis enim in poſſeſſorio tractata et finita, hoc commodo fruitur *poſſeſſor*, vt iuribus potiatur omnibus intuitu feudi competentibus, donec ab altero ius potius euincatur *in petitorio.* Cuius conſequens eſt, vt non minus *inue-*

ſtitura

ſtitura in poſſeſſorio ei danda ſit: quae itidem eſt ſpecies inueſtiturae *prouiſionalis*, quae vi poſſeſſionis in poſſeſſorio euictae conceditur tamdiu, donec alter obtinuerit in petitorio (*a*). Ita iudicatum in iudicio imperii aulico a. d. 26. Aug. 1718. (*b*). *Reſcribatur dem Herrn Churfürſten zu Mainz, als Biſchofen zu Bamberg: nachdem ihro Kayſerliche Majeſtät bereits unter dem* 23. *Sept. des Hans Hhriſtoph von Kunſperg per ſubſequens matrimonium legitimirten Sohn Philipp Henrich von Kunſperg in poſſeſſorio davor und pro ſucceſſionis capace in allen denenienigen der legitimität anklebenden iuribus tam in feudis et fideicommiſſis quam in allodio erkläret, das petitorium aber alhier bey ihro Kayſerliche Majeſtät Hoffrath, wohin dieſe Sache ihrer Natur und Eigenſchaften nach gehörig zu verhandeln anbefohlen haben: als hette der Herr Churfürſt dem Supplicanten*

(*a*) MOSERVS *l. c. tom. III. p.* 617.

(*b*) In *merckwürdigen Reichs - Hofraths - Concluſis P. I. concl.* 102. *p.* 215.

ten in poſſeſſorio die gebetene inueſtitur zu ertheilen, und wenn der von Kunſperg in petitorio Spruch und Forderungen nicht zu entlaſſen ſtünde, ſolches alhier an- und auszuführen. Inueſtitura in poſſeſſorio data imitatur *ſententiam in poſſeſſorio* latam: eiusque vis pendet a deciſione definitiua, in petitorio exſpectanda; non parum interim profutura vaſallo, quo difficilior eſſe ſolet petitorii cauſa.

OBSERVATIO XL.

de iudice curiae feudalis.

ARGVMENTVM.

I. *Origo iuriſdictionis feudalis an ex dominio?*
II. *Eius exercitium in iudicio Parium curiae. Index curiae.*
III. *Ex quibus cauſis iudex curiae conſtitutus?*
IV. *Ius domini et vaſalli in eius conſtitutione.*
V. *Iudex curiae ex vaſallis. Seſſ-Lehn quid?*
VI. *Officium et Poteſtas iudicis curiae.*
VII. *Iudicium Ordinum imperii in cauſis feudorum imp.*
VIII. *Iudex curiae in eodem.*
IX. *Eius conſtitutio maxime in cauſis iura imperatoris concernentibus.*

§. I.

Iuriſdictionis feudalis origo an ex dominio?

Iudiciorum duo genera apud Germanos quondam floruiſſe, *Eigen-Gerichte* et *Frey-Gerichte*, eorumque prius ex *dominii iure*, poſterius ex *imperii iure* natales ducere, priorisque ſpeciem eſſe *iudicium* feu-

feudale, coniectura eſt viri illuſtris CHRISTIANI HENRICI DE SENCKENBERG (*a*). Sed quaecunque fuerit illius diſtinctionis ratio: certe *iudicia feudalia* ex *dominii* iure repeti non poſſunt. Sunt quaedam iura poteſtatis Domini directi extraiudicialis, quae *ex dominio*, et ſi rectius ſentiendum, ex *contractu feudali* originem ducunt. Damu, ex eo venire ius exigendi ſeruitia: ſed et illud dandum eſt, ius violatam fidem priuatione iuris vindicandi et quidquid eſt iuris cogendi, id eſſe *iurisdictionis*: nec minus dandum eſt, vbi de *iuribus* et *obligationibus* ipſius *domini*, de tribuenda inueſtitura, de iuribus *agnatorum* et *inueſtitorum*, de feudi ſucceſſione vel alienatione, alienatiue euocatione agitur, in his definiendis nullas eſſe *dominii* partes ſed *imperii* et *iurisdictionis*. Si animum ad origines feudorum aduertimus, quibus feuda vix ab aliis data eſſe nouimus, quam a regibus aliisue, quibus ad

(*a*) *Von der Kayſerlichen höchſten Gerichtbarkeit in Deutſchland §. 2.*

ad defenſionem terarum opus erat *ſeruitiis militaribus*, ab illis inquam, qui poteſtate et iurisdictione iam pollebant; ratio non alte repetenda eſt iurisdictionis in eosdem competentis, quos ſibi beneficiaria lege obnoxios reddiderant. Quae res effecit, vt iuris ordinarii haberetur, feudi dominum, cui ſeruitia militaria debentur, iurisdictione pollere in cauſis feudalibus: neque enim defuerunt domini, eadem carentes, illi maxime, quibus ad alia quam ad militaria ſeruitia obnoxios habebant vaſallos.

§. II.

Eius exercitium in iudicio parium curiae.

Iurisdictio domini in vaſallos ita temperata eſt, vt fraudi eſſe non poſſet vaſallorum libertati; cuius inſigne praeſidium in eo poſitum eſt, quod in *conſortio Parium* exerceretur, nec vaſalli niſi a Paribus ſuis et aequalibus iudicarentur (a).

Iu-

(a) IO. IAC. MASCOVIVS *de Paribus curiae* §. 16. *ſeqq.*

Iuriſdictio erat *Domini feudi*, ſed eius *exercitium* ad Parium curiam adſtrictum. Paribus *iudicandi auctoritatem* praeſtabat dominus, ipſe viciſſim non, quid ſibi videretur, ſed ſecundum *Parium ſententiam* iudicaturus. Penes dominum erat iudicii auctoritas et directio, qua vel ipſe praeſens in curia Parium defungebatur, vel eius obeundae cauſa vicarium conſtituebat. *Is iudex curiae* vocatur, vices domini feudi gerens in curia Parium dirigenda; ſubinde *Hoffrichter*, *Lehnrichter*, *Mannrichter*, *Lehn-Probſt*, ſeu praepoſitus curiae feudalis appellatus (*b*).

§. III.

Ex quibus cauſis iudex curiae conſtitutus?

Conſtitutio *Iudicis curiae* non omnino liberi arbitrii fuit: namque et cauſae legitimae interuenerunt, ex quibus curiam Parium *per vicarium iudicem* dirigere oportuit. Harum praecipua fuit, ſi cauſa, in curia

(*b*) Vid. IO. AD. KOPP de *inſigni differ. inter Comit. et Nob. immed.* p. 547. IO. FRID. SCHANNAT. *in client. fuld.* p. 7.

curia tractanda, *inra* et *obligationes ipſius Domini* concerneret. IVS FEVD. ALEM. c. 120. *So der Herre mit einem ſiner Manne Lehnrecht thun will, ſo ſoll er einen ſiner Manne an ſine Statt ſezen.* Tuendae iudicii integritati non immerito tribues iuſtam cautelam, ne in cauſa propria feudi dominus ipſe praeeſſet curiae. Itaque in litibus inter Dominum et Vaſallum curia Parium ſub moderamine *iudicis curiae* celebranda erat. Nec ipſi quidem domini feudi dubitarunt coram Vicario Iudice ſuo et Parium curia praeſentes cauſam agere. In Charta de a. 1454. id exponit Iudex curiae Parium Fuldenſium (a). *Ich Conrad Doring zu dieſem mahle eingeſatzter Richter an des Hochwirdigen Furſten und Herrn Herrn Reinhardt Abt zu Fulde und*

(a) Apud SCHANNATVM in *Client. Fuld.* N. DLIII. p. 353. Pari ratione in *charta de a.* 1474. *ibid.* MCLVII. p. 261. Iudex Parium curiae recenſet, *iſt derſelbe mein gnediger Herr alsbalde perſonlich vor Gericht erſchynen und durch ſeinem angedingten Furſprecher reden und clagen laſſen.*

und ſiner Stiftes Erbar Manne Gerichte bekennen, das fur mich und dieſe nachgeſchriebene Manne an ein gehegte Gerichte kommen iſt de obgenant mein gnediger Herre. Eadem cauſa conſtituendi iudicem curiae interuenit, quoties de *iuribus* et *obligationibus* inter Dominum et Vaſallos ex *obſeruantia curiae definiendis* agebatur; quod paſſim fieri ſolebat in prima ſolenni Vaſallorum curia. Egregium eius rei exemplum occurrit in curia feudali *Epiſcopatus Oſnabrugenſis*, ex more veteri a. 1561. celebrata. In qua cum primum ageretur de iuribus, quibus reguntur feuda Oſnabrugenſia, ſecundum curiae obſeruantiam definiendis, ipſe praeſens Dominus feudi *Ioannes* Epiſcopus rei rite agendae cauſa *vicarium curiae praeſidem* conſtituit Hermannum de Amelunxen; dato ſimul procuratore, ex numero Vaſallorum electo, ad iura domini in curia tuenda (*b*).

Tan-

(*b*) Documentum copioſam eius rei narrationem exhibens edidit LVNIGIVS in *corp. iur. feud. tom. I. p.* 1759. De conſtituendo iudice

Tandem iudicio ordinato vaſallisque omnibus aduocatis, *Procurator* domini ſuggeſſit quaeſtiones, iura et obligationes vaſallorum concernentes, quas *iudex curiae* in medium propoſuit *ſuffragiis vaſallorum* de-

dice Curiae haec praeſentibus vaſallis proponebat Cancellarius Epiſcopi: *Nachdem Ire Furſt. Gn. derſervigen Kerchen und Stifts hergebrachten Sytte und Gewonheit na, diſſen Lehen-Dagh in geburlicker Tide und vp gewontlicker Malſtedt angeſetten, vtſcriven und vorkundigen laten, und dem Folge tho doen iitz alhier jegentwerdig weren, wolden ihre Furſtl. Gn. thom Lehn-Richter die Tidelangh des werenden Lehn-Gerichts-Dags uth den Lehn man Hermen von Amelunxen erfordert und begehrt hebben. Darup er von Amelunxen gehorſamtlich vor ir Furſtl. Gn. up dem Gebeuwe erſchenen, und mith gebuhrender reverenz nidder knehende vor ihrer Furſtl. Gn. up ſein underdenigeſte Bitten beleſiet, und Lehens-Pflichten und Eidt, wie der Canzler Ihme die vorgeholden hen, weddergedaen, und vp eine Banck, ſo vp den Gebeuw, nha by dem Staffelen edder Treppen geſtanden und darto verordenet, ſich uth irer Furſtl. Gn. Bevelch neddergeſettet; und ſo fort alſe Lehn-Richter vth den Mannen von Lehen Iohann Haken zu Schevendorff und Iaſpern von Varendorf tlie Beſittern opgefordert und begerdt, welche gelikesfalls up dem Sitte von irer Furſtl. Gn. erſchennen, ihre Belehenonge enpfangen und Lehens-Pflichtige gedaen, darnach ſick by den Le-*

definiendas. Quibus finitis, quae ad iura feudorum determinanda pertinere videbantur, ſolutoque iudicio feudali, *iudex Curiae* locum fecit *ipſi Domino Ioanni Epiſcopo*, ſolennia inueſtiturae in *curia vaſallorum* celebraturo. Idem mos ſeruatus eſt in *aliis iudiciis*, vt ad cauſam, quae iudicem ipſum concerneret, conſtitueretur *vicarius* iudex. Cum *Otto*, Marchio Brandenburgicus, cum fratre *Alberto* magnam Marchiae Antiquae, in ducatu Transalbino, hoc eſt, Saxonico, ſitae partem a. 1196. donaret eccleſiae Magdeburgicae, eamque ab ea in feudum reciperet: traditio iſta et oblatio in feudum confirmata eſt duplici iudicio, ſub iudice vicario. In *charta* de a. 1196. recenſetur primo iudicium ab *archiepiſcopo* conſtitutum (*c*). *Sane die poſtera videlicet VII. Calendas*

Lehen-Richter einer thor Rechter und der ander thor linckeren Seiden neddergeſettet.

(*b*) Chartam exhibet IO. PETR. de LVDEWIG *in reliq. MSS. medii aeui tom. IX. p.* 538. Facta eſt confirmatio huius traditionis vi pra-

lendas menſis prefatus tam archiepiſcopus quam nos et frater noſter cum multis aliis in ducatu Tranſalbino ad bancos fuimus conſtituti, vbi Dux loci, Archiepiſcopus videlicet Magdeburgenſis, nobilem virum Waltherum de Arnſten ſua auctoritate et ex ſententia fecit iudicio preſidem. Deinde exponitur alterum iudicium, auctoritate *Ottonis* conſtitutum. *Ceterum vt predicti negotii conſummatio impleretur, Marchiam noſtram intrauimus, in qua tam archiepiſcopo quam nobis et fratri noſtro cum multis aliis*

promiſſionis, quam Otto Marchio et frater Albertus inierant in hunc modum. *Ego Otto Brandenburgenſis Marchio* (Ego Albertus Comes) *data fide promitto et iuramento confirmo, quod donationem praediorum meorum* (*et fratris mei:* ita Albertus) *quae eccleſiae Magdeburg. tradidi, ratam tenebo, et omni iurisdictione et foro ſeculari vbi receſſum fuerit, eamdem donationem, ſecundum quod ius fuerit, ſtabiliam et legitime confirmabo, et de ipſis bonis eccleſiam Magdeburg. contra omnes, qui eam ſuper hiis impetiuerint, ſecundum iuſtitiam Warenthabo, bona fide ſine fraude, pro iure eccleſiae ſtaturus. Sic me Deus adiuuet et Sancti eius.* Perdurauit haec infeudatio adhuc ſec. XIV., ceu patet ex documentis apud LVDEWIGIVM l. c. *tom. VII.* p. 36. 37.

aliis Marchie hominibus et aliis quarto Calendas ſepe dicti menſis iuxta Gardelege conſtitutis, fideli noſtro HENRICO *Comiti de Danneberg, cuius idem comitatus erat, per ſententiam auctoritatem dedimus vice noſtra iudicio preſidendi: in cuius conſpectu predia noſtra - - : quaecunque habuimus in Marchia noſtra vel in Comitatu nobilis viri Ottonis Comitis de Falckenſtein nec non in vniuerſis comitatibus, ad praeſatam Marchiam noſtram pertinentibus ſita, ad inſtar collationis praeſcripta, nos primum et poſtmodum frater noſter ex mutui et legitimi conſenſus et compromiſſi plenitudine Magdeburgenſi eccleſie et memorato ipſius archiepiſcopo - - - in ius et proprietatem tradidimus.* Recenſentur ibidem ſimul nobiles, qui iudicio interfuerunt.

§. IV.

Ius domini et vaſalli in eius conſtitutione.

Ius *conſtituendi* iudicem curiae fuit Domini, cuius et ipſe vices gerebat: modo conſtitueretur iudex non ſuſpectus, et

et a ſtudio partium alienus. Suſpectum recuſare licuit vaſallo. *Ius feud. Alem. c.* 120. *Iſt er im argwenig, er wegert ſich ſin wol mit Rechte.* Itaque in lite inter dominum et vaſallum mota, *conſenſum* vaſalli *in iudicem curiae* exigere ſolenne fuit. In iudicio feudali, inter Petrum Archiepiſcopum Moguntinum et nobiles Ludeuicum et Henricum de Kindshauſen ſuper feudo caſtri coram iudice vicario curiae a. 1308. agitato eius rei exemplum occurrit (*a*): *Nobis itaque Hermanno, dicto Schelme, milite Vicedomino Aſchaffenburgenſi de mandato Dni Petri Archiepiſcopi Moguntini praeſidentibus in iudicio in villa Eltevil, quae eſt de proprio fundo eccleſiae Moguntinae in termino, ad quem ipſe D. Petrus Archiepiſcopus praedictus eosdem milites mandauerat in iudicium euocari, praefatus Ludouicus in nos tamquam in iudicem conſenſit, et pro Henrico fratre ſuo, abſente contumaciter, de rato ſufficienter caue-*

(*a*) In charta de a. 1308. quam exhibet VALENT. FERD. DE GVDENVS in *Codice diplomat. tom. III. p. 52.*

cauerat de iudicato ſoluendo, *eo quod iudi-catae rei pareret.*

§. V.

Iudex curiae ex vaſallis. Seſſ-Lehn quid?

Sed et ex *Parium numero* iudicem curiae eſſe oportet (*a*): namque et conuenire videbatur, iudicium Parium dirigi a conuaſallo; et ad iura partium pertinebat, non iudicari, niſi a paribus. Solenne fuit, ex ordinario numero VII. vel XII. vaſallorum, quo conſtare ſolebat parium curia, vnum eligere curiae iudicem. Ad *ſeruitia vaſallorum* iudicialia pertinuit hoc officii genus, vt indictis iudiciis adeſſent, ad partes vel *aſſeſſorum* vel *iudicis curiae* obeundas. Exiſtimauit SCHILTERVS (*b*), *huius officii intuitu* ſpeciale feudum ſubinde datum eſſe, eiusque Seruitium conſtitiſſe in praeſidendo in curia vel capitulo, idque *Seſſ-Lehn*, vaſallumque, praepoſiti curiae partibus functurum, *Seſſmann* appellatum eſſe, eoque pertine-

re

(*b*) *Ius feud. Alem.* cap. 120. ibi: *einen ſiner Manne.*

(*b*) In Comm. ad *Ius feud. Alem.* c. 151. p. 456.

ſe formulam literarum inueſtiturae Epiſcopi Spirenſis: *daz wir unſern Stifte zu Nutze und zu Eren gewunnen und genummen hant Iohanſen den Vogt zu Weſſelnheim den man ſprichet von Helſenſtein zu einen Seſſmanne, alſo das er ſitzen ſoll zu Z. in unſer Statt, wenne wir oder unſere Nachkommen oder das Capitul von S. es an in vordert.* Sed in his literis non de *curia feudali*, ſed procul dubio de *caſtro* ſermo eſt, in quo vaſallum *reſidentiam caſtralem* facere oportuit, quoties vel epiſcopus vel capitulum eamdem exigeret, iure videlicet *feudorum caſtrenſium*. A *reſidentia* ſeu *habitatione vaſalli caſtrenſis in caſtro* originem coepit appellatio *Seſſ-Lehns*, perinde vt ipſe vaſallus, ad eandem reſidentiam obſtrictus, *Seſſmann* dictus eſt. Quaeſtionem omnem conficit charta *Theodorici* Archiepiſcopi Treuirenſis de a. 1239. (c) in

(c) In IO. NICOLAI AB HONTHEIM *hiſtoria Treuirenſi diplomat. tom. I. p.* 725. De reſidentia caſtrenſi et feudis caſtrenſibus plura expoſui in diſſ. de *iuribus ex ſtatu militari Germ. dependentibus c. II. p.* 16.

in qua officia comitum Luzelimburgenſium, qua Caſtrenſium in Kilburch, definiuntur. *Item dictus filius comitiſſae et eius ſucceſſores Comites Lutzillimburgenſes caſtrenſes noſtri erunt in caſtro Kilburch, ibidem pro ſe militem locaturi, qui habebit ab epiſcopis Treuirenſibus* pro eo, quod vulgariter dicitur *Sezleyn, quidquid ſibi a Comite Lutzillemburgenſi pro reſidentia in dicto caſtro facienda fuerit aſſignatum.*

§. VI.

Officium et poteſtas iudicis curiae.

Iudex curiae rationem habet iudicis ad *certas cauſas iudicandas delegati*: neque enim indicta eſt parium curia, niſi cauſarum feudalium tractandarum ratione id exigente; neque iudex curiae datus eſt, quam quoties iuſta cauſa dominum feudi eidem praeeſſe impediebat. Praeclare ad rem in curia Parium Fuldenſi de. a. 1454. iudex curiae ad iſtam litem ſe datum eſſe agnoſcit in formula ſententiae (*a*): *Ich Con-*

(*a*) Apud SCHANNATVM l. c. N. DLIII. p. 353.

Conrad Doring zu dieſem mahle ein geſatzter Richter an des Hochwirdigen Furſten und Herren Herrn Reinhardt Abt zu Fulda und ſines Stiftes Erbar Manne Gericht. Iudicis partes non aliae fuerunt ac ipſius *domini feudi*, cuius vice fungebatur. Fuit penes eum *auctoritas*, et penes pares curiae rei tractandae, et decidendae *iudicium*. Auctoritatem Iudex curiae interponebat in curia *vice* et *nomine domini feudi* ordinanda. Ordinato iudicio praeerat iudex idque moderabatur, nihil ſuo ſenſu ſuoque arbitratu ſtatuens, ſed requiſitis ſemper *Parium ſuffragiis*, ſi quid erat agendum, interloquendum ſtatuendumue (*b*). Tandem cauſa ſatis inſtructa, Pares in ſuffragia ire iubebat, latamque ab illis ſententiam *publicabat*. Publicatam ſententiam in inſtrumentum publicum redigere ſolenne fuit, *ſubſcriptione ſigilloue* iu-

(*b*) Solennem modum iudicium feudale ordinandi et habendi explicuit IAC. FRID. LVDOVICI *in Lehns-Proceſs integro cap. III.*

iudicis curiae, vel etiam ſubinde *parium curiae* ſubſcriptionibus ſigillisue munitum (*c*).

§. VII.

Iudicium Ordinum imperii in cauſis feudorum imp.

Vidimus iudicem curiae in feudis prouincialibus. In *feudis imperii* eadem viguit obſeruantia. Monendum tamen, *iudicem curiae* in negotiis imperii non in eodem ſemper ſignificatu occurrere: cum *curiae* vocabulum vnicuique iudicio tribuatur (*a*). Iudex curiae etiam is audit, qui praeerat *iudicio curiae*, ceu iudicio ordina-

(*c*) Exemplum eſt in inſtrumento de a. 1308. apud VALENT. FERD. DE GVDENVS *in Cod. diplom. tom. III. p.* 53. quo ſententia iudicis curiae ſigillis omnium Parium curiae munita exhibetur: *Nos quoque milites praenotati Miniſteriales et fideles eccleſiae Maguntinae praedictam ſententiam vnanimiter approbauimus et laudamus, vtpote de noſtro concordi promulgatam conſilio. Conſignantes praeſentem cartulam noſtrorum robore ſigillorum in ampliorem certitudinem praemiſſorum.*

(*a*) CHRIST. VLR. GRVPEN *in obſ. de iudic. Curiae p.* 531.

dinario ad iurisdictionem vice imperatoris exercendam conſtituto (*b*). De quo hoc loco ſermo non eſt, cum cauſae, *feuda imperii* concernentes, numero fuerint cauſarum ab iſto iudicio *exemtarum*, et *cognitioni imperatoris immediatae* reſeruatarum (*c*). Loquor de *iudice curiae*, qui vice *Imperatoris* praeerat iudicio ex *ſelectis Imperii Ordinibus* conuocato ad *cauſas feudales Statuum Imp.* iudicandas: ſiquidem haec fuit imperii obſeruantia, *iurisdictionem imperialem* in cauſis, feuda imperii concernentibus, exercendam eſſe ex *conſilio* et *iudicio tot principum et procerum imperii* ſelectorum, quot opus eſſe videbatur ad *curiam* ſeu *iudicium* conſtituendum (*d*). Idque

(*b*) Huius iudicii rationem et origines tradunt viri omni doctrinae laude illuſtres, DE HARPPRECHT *in Stats-Archiv des Cammergerichts Part. I.* HENR. BALTHASAR BLVM *de Iudicio Curiae Imperialis Germanico*, Dn. DE SENCKENBERG *l. c. §. 14. ſ.*

(*c*) Conſtit. FRIDERICI II. de a. 1235. et RVDOLPHI I, de a. 1287. in *Corp. Receſſ. nouiſſ. tom. I. p. 25. et* 36.

(*d*) *Iudicium principum*, et cauſa beneficiaris

ex

que iudicium rationem habet *curiae Parium*, in qua ex moribus Germanorum a vaſallis ordinis aequalis iudicandae erant cauſae feudorum. Ad *vſum, morem, ſtilum* et *conſuetudinem ſacri imperii Romani, qua feudalis contentio per dominum feudi ac pares curiae terminanda ſit*, prouocat Rex Romanorum SIGISMVNDVS in diplomate (e), quo imperii iurisdictionem in lite de Electoratu Saxoniae inter Fridericum Electorem Saxoniae et Ericum Ducem Lauenburgicum tuetur; addens, *quod ius in noſtra caeſarea maieſtate et ſacro imperio noſtro et Paribus curiae noſtrae reſpectu feudi taliſmodi merito debet illaeſum ſeruari.* In diplo-

ex *ſententia principum, qui aderant*, deciſa, recenſetur in diplomate FRIDERICI I. de a. 1157. in *Originib. Guelficis tom. II.* N. 109. *p.* 579. In erectione ducatus Auſtriae lis inter Henricum Dn. Saxoniae et Henricum D. Auſtriae a Friderico I. a. 1156. deciſa eſt ex iudicio multorum principum *Wladiſlao Duce Bohemiae ſententiam promulgante, quam ceteri principes approbabant*, apud DU MONT *Corps diplomat. tom. I. p.* 82.

(e) De a. 1424. in IOACH. MÜLLERI *Reichstags-Theatro ſub Frider. V. P.* 5. *p.* 465.

plomate Friderici I. de a. 1181. qua caſtrum Homburg, feudum Henrici Leonis, eccleſiae Hildeſemenſi adiudicat, mentio fit *iudicis principum* et *iudicis curiae (f). Ea igitur quae de caſtro Homborg coram nobis cum multa principum frequentia tractata ſunt, poſteritate cognoſcenda transmittimus. In curia, Erfordie celebrata, cum nos in caſtro Homborg nobis ius diceremus, et iudicio illud peteremus dictante ſententia Athelbous &c.*

§. VIII.

Iudex Curiae in eodem.

Curiam Parium procerumque imperii Imperator vel ipſe praeſens moderabatur, vel eidem dirigendae *Iudicem curiae* praeficiebat, prout vel ipſi commodum viſum eſt, vel id iuſta cauſa exegit. Imaginem *iudicis curiae* et Principum Parium repraeſentat *Cautio publica* de ſe ſiſtendo in Parium curia, quam FRIDERICVS Saxoniae Elector dedit *Electoribus* in lite, ſibi ab *Erico V.* de ducatu et Electoratu Sa-

(f) *In Originib. Guelficis tom. III. p.* 548.

Saxoniae mota (a). Promittit *Fridericus*, ſe ea de re reſponſurum eſſe Erico, ſeque pariturum iudicato, quod *Sigismundus* vel *iudex curiae*, ab eo conſtitutus, ex ſententia *Coelectorum* laturus eſſet. Promittit, *daſs wir ſollen und wollen zu Vertrage kommen vor unſyn egnent gnedigen Herrn Herrn Sigmunde Romiſchen Kunig - - - - als einen Richter und Frager, oder einen andern ſinen Richter, denn er dan an ſine Stat ſettzen wurde, als ſich das von Rechtswegen zu tun geboret, und unſer Liben Herren und Ohemen Kurfurſten, nemlich Ern Conraden zou Menze, Ern Otten zou Tryer, Herrn Dythern zou Colne, Erczbiſchouen, Herrn*

(a) Quam exhibet IO. GOTTL. HORN *in Leben Churf. Friedrich des Streitbaren p.* 883. Sub hac cautione, Electoribus praeſtita, admiſſus eſt *Fridericus* in collegium Electorale, vt docent literae admiſſionis *Moguntini electoris* de eodem anno *ibid. p.* 889. *das wir als ein Churfurſt mit Wiſſen und Willen underer unſer Mit-Churfurſten derſelben Herren Friderich zu unſern Mit-Churfurſten und in unſern Mit-Churfurſten-Rat ufgenommen und emphangen haben, doch unſchedelich ſolcher Brif* (praedictae cautionis) *als er uns und unſern Mit-Churfurſten has gegeben.*

Herrn Ludewigen Pfalczgrauen bie Ryne und Herczogen in Beyern und Herrn Friderich Margrauen zou Brandenburg - - - als Orteiler, alſo wann uns von Beiden Theiln, die dar dann anruret, von den obgenanten unſern gnedigen Romiſchen Kunige oder ſynen Richter, als vorgeſchreben ſteet, in der nechſten Iahresfriſt nach datum diſs Briſs tage fur ſich und die obgnenten unſern Herrn und Ohemen die Kurfurſten gein Franckfurth oder gein Nurnberg beſcheiden, und auch denſelben Tage die obgenanten unſern Herrn und Ohem die Kurfurſten und uns beiden Theiln zowene Monate zuvor vorkunden und wiſſen laſſen wirdet, daſs wir denne ungeverlich fur Sie kommen ſollen und wollen, uns hinderte danne erbaftige Not, die wir danne furbringen ſolln als recht iſt, und uns an Rechte gnugen laſſen nach beider Theile Rede Antworte und Furbringen und Orkunde und nach Geſetze Rechte und Freiheite des heiligen Richs, und was alſo von denſelben Vnſern Herrn und Ohemen den Kurfurſten zou Rechte geſprochen und erkant wirdet,

det, es were von der Kur oder des Landes zou Sachſen wegin, das ſolln und wollen wir ganz und unverprochlichen halden thun und vollenfuren (b). Caeſari, vel *Iudici Curiae*, ab eo conſtituto, partes iudicis *eines Richters und Fragers*, Electoribus vero, ceu Paribus in cauſa Electoratus, partes iudicantium *der Vrtheiler* tribuuntur, ex obſeruantia moribus Germaniae exacte congruente.

§. IX.

Eius conſtitutio maxime in cauſis iura imperatoris concernentibus.

Quamquam ad arbitrium imperatoris pertinuiſſe videatur, vtrum ipſe tam ſplendidae curiae Parium procerumque imperii

(b) Promittit porro Fridericus Elector in fine eiusdem cautionis, ſi forte intra annum praedictum Sigismundum mori, nullumue ab eo *iudicem curiae* ordinari contingeret, *und auch keinen Richter an ſine Statt ſetzte als ſich danne von Rechtswegen zu thun geboret*, ſe citatum compariturum coram *iudicio coelectorum*, ſententiaeque eorumdem eſſe pariturum, *wanne uns danne noch Vtgang der Iahres Friſte in dem nehiſten Iare dornoch folgende*

rii praeeſſe, an vero *iudici vicario*, ex numero Procerum imperii electo, hanc ſpartam committere placuerit: huius tamen conſtitutio ex obſeruantia imperii neceſſaria videbatur, quoties in curia Parium agebatur cauſa, iura *ipſius imperatoris* quomodocunque concernens. In Parium curia, in cauſa inter Aduocatum de Hunolſtein et Comitem de Spanheim, nec non Rupertum Seniorem, Comitem Palatinum, *praeſidente ipſo imperatore Carolo IV*, a. 1353. celebrata, illius obſeruantiae memorandum exemplum occurrit. Mota erat in hac lite quaeſtio incidens: vtrum vaſallus Principis electoris coram alio ac ipſo Domino feudi conueniri poſſit? Quae cum non minus ipſius imperatoris, qua Bohemiae Electoris, iura concerneret, Imperator

de Vnſer obgenante Herrn und Ohemen, die Kurfurſten, vor ſich beſcheiden, ſo ſolln' und wollen wir in obingeſchriebene Maſſe vor ſie kommen, und was ſie danne erkennen, das wir in der Sache billich und von Rechte nach dem, als wir den heiligen Riche und yn gewand ſin, thun ſollen, das wollen wir alsdanne volfuren halden und thun.

rator ex principum ſententia, dimiſſis partibus Supremi curiae iudicis, *vicarium iudicem curiae* conſtituit (a). *Do fragten wir die Kurfurſten umb, die bey uns ſazzen, den Erwurdigen Furſten Herrn Gerlachen Erzbiſch. zu Mentze und den Erwurdigen Furſten H. Wilhelm Ertzbiſchoff zu Kölne, die ſprachen: ſind dem mal und wir auch ein Kurfurſt weren, wir ſolten einen andern Furſten das Gericht und den Stab an unſer Stat emphehlen, und ſolten uns mit In um die egenante Sache geſprechen, was unſer und aller Kurfurſten Recht, Freyheit und Gewonheit wer. So ſatzten wir an unſer Stat den hochgeborn Wladiſlauen Herzogen zu Teſchin und geſprochen uns, und kommen wider fur Gericht und fur den Hertzogen von Teſchin, der an unſer Stat ſaz. Der fraget uns der Orteil, da heten wir uns bekant und bedacht von ſolchen Rechten Freiheiten und Gewonheiten, die*

(a) Diploma exhibet IO. SCHILTERVS *in comment. ad ius feud. Alem.* c. 120. p. 416. et CAR. LVD. TÖLNERVS in *hiſtor. Palat. in cod. dipl.* N. 141. p. 91.

die ein iclich Kurfurſt hat von wegen der Kur des H. R. Richs, das kein vnſin Man nyndert Recht tun ſol, dann fur uns oder vor dem Kurfurſten, des Manne er iſt. Und alſo ward mit rechter Vrtheil gewiſet der obgenante von Spanheim fur den egenanten Ruprecht Pfalzgraf bie Rine. In his ſimilibusque exemplis euenit illud, quod a moribus Germanorum alienum non eſt (*b*), Iudicem Curiae *iudicem* fieri in cauſis, imperatorem ipſum concernentibus, liteſque inter Vaſallum et dominum iudicari in curia parium procerumque imperii ſub moderamine *iudicis curiae*, ab imperatore conſtituti. Ex quibus facile eſt ad intelligendum, quo ſenſu apud veteres *Comes Palatinus* iudex imperatoris appellatus ſit (*c*), quoue ſenſu in *Aurea Bulla c. V. conſuetudine introductum* eſſe dicatur, *vt Imperator de cauſis, de quibus impetitus*

(*b*) Vid. FRID. ES. PVFENDORFIVS in tr. *de iurisdict. Germanica P. I. c. III. §.* 40.

(*c*) In iure *Prov. Sax. lib.* 3. *art.* 52. *et iure feud. Alem. c.* 42. *§. vlt.*

petitur fuerit, *coram comite Palatino Rheni reſpondere debeat (d)*, quippe quod non niſi de iudicio accipiendum eſt, quod in *curia parium Procerumque imperii*, Palatino partes *iudicis curiae* ſuſtinente, exerceri ſolebat ex veteri iudiciorum more.

(*d*) IO. IAC. MASCOV de *paribus curiae* §. 22. IO. GE. ESTOR de *iudicio principum Sect.* III.

OB-

OBSERVATIO XII.

de iudice feudorum extra curtem.

ARGVMENTVM.

I. *Mos Germaniae feuda extra curtem ſaluo territorii iure conſtituendi.*

II. Feuda extra curtem quid?

III. *Modi acquirendi dominium directum in alieno territorio:*

IV. 1) *ex conceſſione imperiali,*

V. 2) *ex oblatione,* 3) *ex dominio pleno in alieno territorio acquiſito.*

VI. *Iurisdictio feudalis et cauſae feudales quid?*

VII. *Fundamentum iurisdictionis feudalis.*

VIII. *Vſus medii aeui in ea agnoſcenda.*

IX. *Iurisdictio in feudis extra curtem.*

X. *Quomodo acquiri potuerit in alieno territorio.*

XI. *Quatenus competat ex conceſſione imperiali.*

XII. *Conſentiente domino territorii acquiſita, eique ſubordinata eſſe praeſumitur.*

XIII. *Agnita eſt in Proiecto conſtitutionis Alberti II.*

XIV. *In literis inueſtiturae.*

XV. *Nec non in capitulatione Caeſarea.*

XVI. *An ei obſtet ius de non euocando?*

XVII. *Ius domini territorialis recipiendi appellationem in cauſis feudorum extra curtem.*

XVIII. *Idem obtinet in ſubfeudis extra curtem.*

§. I.

§. I.

Mos Germ. feuda extra curtem, ſaluo territorii iure, conſtituendi.

Singularis erga praeſules eccleſiaſticos veneratio, vel tutelae inter turbulenta medii aeui tempora ab eccleſia repetendae, vel defenſionis apud alieni territorii principes repetendae rationes effeciſſe videntur, vt non minor feudorum oblatorum, quam *extra territorium* recognoſcendorum, quae *ab illis* originem ducunt, ſit multitudo. Illud ſaepenumero vel pietati, ſi quae fuerat, vel temporum rationi indulſerunt territoriorum domini, vt ſubditis, *extraneos Dominos* clientelares adoptare, permiſerint; ſufficere rati, ſi ſalua *ſubiectionis fide* in alterius clientelam ſe conferrent (*a*). Neque iſta feuda Imperatoribus

(*a*) Quod *ſubiectionis ratio* exigit, ne ſubditi ſub clientelae colore ad ſeruitia aduerſus *territorii principem* vocarentur, idem ſaepius nominatim cautum eſt, vt in *literis inueſtiturae Lamperti*, Epiſcopi Bambergenſis, Gebhardo Domino in Querfurth ratione caſtri Scheidungenſis datis de a. 1376. in IO. CHRIST. BECK.

ribus improbata, a quibus vaſallos extra Curtem ſubinde monitos eſſe legimus ad fidem Dominis ſuis, ni amittendorum beneficiorum diſcrimen ſubire mallent, praeſtandam (*b*). Immo ſi iſtorum feudorum per Ger-

BECKMANNI *hiſtoria principatus Anhaltini* Part. III. lib. 5. c. 1. p. 478. *und ſoll dy vnſer und unſers Gotshaus offen Haus ſein, wieder allermaenniglichen, on wieder die Herrſchaft von Meychſen; darunter ſi geſeſſen ſein: dock geſchehe; das ein Herr von Bamberg oder das Stifft mit der Herrſchafft von Meychſſen zu ſchicken gewinne, ſo ſollen ſy mit veſten ſtille ſitzen, und ſollen ir kenen in dem Kriege damit ſein beholffen.*

(*b*) Vox Imperatoris LVDOVICI BAVARI eſt in diplomate ad Vaſallos, *feuda extra curtem u principatu Anhaltino recognoſcentes*, de a. 1323. apud BECKMANNVM *l. c. p.* 481. *Ludouicus D. G. Romanorum imperator, Rex ſemper Auguſtus Nobilibus viris de Honſtein, Burchardo de Mansfeld, de Weningerode, de Regenſtein, de Beichlingen et de Scrapelau Comitibus, nec non de Hadmersleven, de Stolberck, Alberto de Barby dictis Lindow, de Hackeborn, et dicto de Heldrungen, fidelibus ſuis dilectis gratiam ſuam et omne bonum. Cum ſpectabili viro Bernhardo Comiti de Anhalt - - principatum Aſcaniae duximus conferendum - - - - fidelitatem veſtram rogamus et mandamus, quatenus debitae fidelitatis ſibi homagium facien-*

Germaniam frequentiam circumſpicimus (*c*), medio aeuo adeo in mores abiiſſe videntur, vt Imperii Principes, ne ſubditis ſe ſuaque bona extranei Domini clientelae absque territorii domini conſenſu ſubiicere liceret, *imperialibus priuilegiis* ſibi iuribusque territorialibus proſpiciendum curauerint (*d*). Ceterum quo amplior per haec

faciendo, feoda, quae ab ipſo, dicti principatus intuitu, recipere cum debita deuotionis promtitudine non tardetis. Pro hoc noſtram beneuolentiam et ipſius fauorem amplius poteritis vobis vendicare, alioquin per eandem negligentiam ſeu contemtum poenam amiſſionis contraheritis huiusmodi feodorum.

(*c*) Conf. *Verzeichnis der Böhmiſchen Lehne* in der *Staats-Cantzlei* tom. II. p. 189. ſq. AD. FRID. GLAFEY. *geſchichtsmäßige Erörterung der Frage: ob ein ieder Chur- und Fürſtlich Sächſiſcher Lehnmann zugleich ein Landſaß und Vnterthan ſey.* §. 26. *Lipſ.* 1719.

(*d*) Conqueſtus erat *Bertholdus*, Moguntinus praeſul, ſubditos ſuos ſaepenumero extraneis Dominis ſe ſuaque bona *vaſallagii* ſeruitiorumque aliis praeſtandorum nexu ſubiicere, *an ander Herren vermannen*, expoſitisque eius rei incommodis, a Maximiliano Imp. I a. 1495. impetrauit diploma, ne liceret ſubditis absque archiepiſcopi atque Capituli conſenſu extraneos Dominos adoptare, *ſich an keines andern*

haec feuda litium ſimultatumque inter territorii et feudi dominum materia ſuppeditatur, eo maior hodienum ſaepius cum in regundis vtriusque domini iurium finibus, tum in tollendo iſto, quoad per conuentiones fieri poteſt, exteri principis dominio directo, territorii dominorum prouida cura eſſe ſolet (e).

§. II.

andern Herrn oder Herrſchafft Verſpruch, Schutz, Schirm oder einigerley Verpflichtung begeben, vermannen, oder verherren. Vid. LVNIGII *Spicilegium eccl. Tom. I. Cont. I. p.* 93. Conf. KRESSII *diſſ. praelim.* ad THVMMERMVTI *tr. Krumſtab ſchleuſt niemand aus* §. 73.

(e) Ex Conuentione Auguſtiſſimorum immortalis memoriae Principum Georgii I. Magnae Britanniae Regis, et Friderici Wilhelmi Boruſſiae Regis, non modo Dominium directum omnium feudorum, in terris *Brunſuicenſibus* et *Luneburgenſibus* ſitorum, atque a principatibus *Mindenſi, Halberſtadienſi* ceterisque terris Brandenburgicis recognoſcendorum, cum territorio Brunſuicenſi et Luneburgenſi vnitum eſt, verum etiam feudorum, in terris *Guelpherbytanis* eisdem Brandenburgicis principatibus nexu clientelari obnoxiorum. Curiae feudali Brunſuico-Luneburgenſi ceſſum eſt. In vltimis habes iterum feuda extra curtem, ex ceſſione dominii directi conſtituta. Conf. eam in rem Edicta Regia d. dat. 23. Febr.

§. II.

Feuda extra curtem quid?

Huius generis Feuda *extra curtem* vocari ſolent, *curtis* pro *territorio* accepto vocabulo. Apud *Longobardos* latius patuit haec appellatio, cum *Curtis* integrum diſtrictum, ſeu tractum terrarum, praediis, villis, agris iuribusque inſtructum, denotaret: indeque facile intelligatur, quid ſit *feudum in curte*, tamquam pars curtis, et *feudum extra curtem*, ſeu extra dynaſtiae ambitum ſitum (*a*). In Germania interpretes curtem acceperunt *pro territorio*, eaque ſignificatio in mores abiit. Aptior et ad rem deſignandam conuenientior eſt, quae vſu Saxoniae inferioris ſeruatur locutio *der Buttenlehen*, diſtincta a Feudis, in ter-

et 16. Nov. a. 1719. in Tom. IV. Corp. *conſtitut. Calemberg. c. VI. p.* 342. *et* 343. et in LVNIGII *Corp. iur. feud. Tom. II. p.* 1376.

(*a*) *II. F.* 51. *pr. I. F.* 5. *§.* 1. *Conf.* MICH. HENR. GRIBNERVS *de dominio directo in alieno territorio §.* 2. *ſ. tom. IV. opuſc. p.* 103. IO. WILH. de GOEBEL de *feudis extra curtem c.* 1. *§.* 10. *et c.* 2. *§.* 1. et ſeq. AVG. CHRIST. REHFELDT in diſſ. de *feudis in curte et extra curtem c.* 1. *§.* 2. *ſeqq.*

territorio ſitis, der *Binnenlehen*. Ita appellantur in tabulis conuentionis et diuiſionis inter principes Brunſuicenſes et Luneburgenſes de a. 1432 (*b*). *Wat auer van anderen Lehen, dat ſin geiſtlike edder weltlike Lene, butten unſen Herrſchoppen beleghen, van uns to Lene gingen, de ſchal de Here lenen, van des Herſchup ſe to Lehne gan. Wurde uns auer van den ſuluen* BVTTENLEHNEN *weſſ loſſ, als mit Nhamen Herſchuppe, Slote eder ſtete, de ſcholde wy und unſe Eruen mit ſamt unſen vorgenannten Veddern und ören Eruen to hope beholden.* In tabulis conuentionis et diuiſionis Sereniſſimae Domus Brunſuicenſis de anno 1442. (*c*) vocantur *Lehen, binnen und butten unſem Lande und Herſchope gelegen.* Ex his apparet, feuda extra curtem nihil aliud eſſe, quam *Feuda, in bonis alieni territorii* *con-*

(*b*) Conf. ANT. VLRICI ERATHI *Hiſtor. Nachricht vom Braunſchweig-Lüneb. Hauſe* p. 57. et LVNIGIVM *in arch. Imp. Part. ſpec. cont. II. in app.* p. 388. vbi tamen mendoſe leguntur *Buchtenlehne.*

(*c*) Vid. ERATH. l. c. p. 71.

conſtituta. Itaque non tam *Domini conſtituentis*, domini directi enim in nexu clientelari conſtituendo non attenditur ſuperioritas territorialis, quam *bonorum* in feudum datorum et in alieno territorio ſitorum, rationem habemus: ideoque perinde eſt, vtrum bona a domino *extranei* territorii *immediate* an vero *mediate* in feudum recognoſcantur. Dantur inde *ſubfeuda extra curtem*, qualia habent Nobiles de Vslar, de Hanſtein, de Stockhauſen in territorio Brunſuicenſi, Moguntino, et Haſſiaco.

§. III.

Modi acquirendi dominium directum in alieno territorio.

Illud ex generali feudorum indole intellectu eſt facillimum, feuda extra curtem continere conceſſionem dominii vtilis in rebus alieni territorii, reſeruato directo dominio. Itaque illorum natales et conſtituendi modum ex ipſa, dominium directum in alieno territorio acquirendi, ratione

tione perſpicimus. Hoc autem vel ex *inueſtitura dominii directi* in alieno territorio, vel ex ſubditorum extraneorum *oblatione*, vel ex *dominio pleno*, in praedio alieni territorii acquiſito, cuius vtile dominium alteri rurſus in beneficium datur, impetrari poteſt: vt alias conuentionum rationes, quae huius acquiſitionis iura definiunt, praetereamus.

§. IV.

Quatenus ex conceſſione imperatoris competere potuerit?

Quod, ſuperioritate territoriali procerum imperii firmata et in tutiori loco poſita, *Imperatori hodie non amplius licet*, in principum territoriis alteri dominium directum indulgere (*a*), illud in maiori Imperatorum poteſtate facilius licuit olim, cum ſuperioritas territorialis *non vno tempore ab omnibus imperii proceribus acquiſita*, *neque ſtatim*, *vti nunc*, *adeo ſplendida atque per-*

(*a*) HERTIVS *de feudis oblatis P. II. §. 9.*

perfecta fuerit, *ſed potius per temporum intervalla ſenſim ſenſimque invaluerit* (b). Non infrequens eſt literarum clientelarium in imperii feudis formula: *cum dominiis vtilibus et directis*, quacum aequalem vim ac poteſtatem habere alteram: *cum omnibus honoribus et honorantiis*, docte expoſuit TREVERVS (c). Sub hac vero dominium directum in feudis, non minus *in territorio* quam *extra illud* ſitis, nonnumquam deſignari, docet CAROLI IV. pro regno Bohemiae Aurea Bulla de anno CIƆCCCLV. (d). Accedit, quod et dentur *feuda imperii*

(b) Vt verbis vtar CHRISTOPH. IO. CONRADI ENGELBRECHTI in docta comment. de *ſeruitutibus iuris publici ſect. II. membr. III. §. VI.* qui id ſimilium iurium regaliumque, in alieno territorio acquiſitorum, exemplis illuſtrat *ibid. et in prolegom. §. IX.*

(c) In *Parergis Gottingenſibus tom. I. obſ. 2. §. et 12.*

(d) Quam in appendice Diſſertat. de *iurisdict. feud.* et *ſuperioritat. territor.* exhibet WENCESLAVS XAVER. NEVMAN de PVCHOLTZ *num.* I. et LVNIG. in *Corp. iur. feud. tom. I. p.* 1135. Conf. Caroli IV. ſententia pro Burggrauio Nurnbergenſi intuitu feudorum, in terris Auſtriacis ſitorum, de a. 1363. apud GOLB-

perii in imperii principum terris: quorum directum dominium cum penes imperatorem et imperium ſit, idem et nexu ſubfeudi in alios transferri et ſic ſubfeudum imperii extra curtem conſtitui poteſt (*e*). Feudorum extra curtem ita conſtitutorum ratio in *conceſſione imperatoris* poſita eſt; ideoque de ea conſtare oportet. Quae vbi probari poteſt; dominium directum in huiusmodi feudis extra curtem non a *territorii*, in quo ſita ſunt, *domino*, ſed a conceſſione imperiali pendet.

§. V.

Ex oblatione acquiſitum ſubeſt iuri territoriali.

Deinde in frequentiori allodii in feudum *oblatione* dominis exteris acquiſitum ſaepius eſt directum in alieno territorio do-

GOLDASTVM *tom. II. der Reichs-Satzungen* p. 73. BVRCH. GOTTH. STRVVIVS de *Dominio directo in alieno territ. §. 3. et ſeqq.*

(*e*) Vid. GRIBNERVS l. c. §. 3. lit. g. p. 107. Exempla exhibet IO. P. de LVDEWIG *de primo foro ſubfeudor. imp. cap. VI.*

dominium, idque vel annuente *conſentiente-que* territorii domino, vel ſaltem non contradicente, *tacitoque conſenſu* per tot annorum decurſus approbante oblationem. Quid vero in hac agi potuerit, videndum. Allodio in feudum oblato, quod eius poſſeſſori hactenus competierat *plenum* dominium, ita diuidebatur, vt, directo dominio in *exterum imperii principem* translato, vtile ſub fidelitatis nexu ſeruaretur priſtino allodii poſſeſſori. Directum dominium, in exterum principem translatum, *eximere nexu imperii territorialis*, non erat *allodii poſſeſſoris*, ſed ſolius *territorii Domini*. Itaque vti *plenum* dominium huic hactenus ſubfuerat, ita pars eius, *directum* videlicet exteri principis dominium, non poterat non in nexu ſubſiſtere antiqui domini territorialis; niſi huius *conſenſu* vel expreſſo vel tacito ex eodem dimitteretur. Dominium directum ergo in feudis extra curtem, ex *oblatione* acquiſitum, a *iure territoriali* dependens eſt niſi *exemtio* expreſſa vel tacita domini territorialis *conuen-*

uentione contigerit. Denique idem iuris eſt, ſi princeps *allodium* alieni territorii, *pleno iure* ſibi acquiſitum, alteri in beneficium largiatur; quem enim ratione *praedii allodialis* hactenus agnouit *territorii dominum*, eundem non poteſt non agnoſcere, eodem praedio alteri in feudum dato.

§. VI.

Iurisdictio feudalis. Cauſae feudales.

Cum feudorum extra curtem poſſeſſor alium agnoſcat *territorii*, alium *feudi* dominum, alteri *homagii*, alteri *vaſallagii* nexu ſubiectus, non inutilis eſt, quem IVDICEM in feudalibus cauſis agnoſcere teneatur, diſquiſitio. De ſola, quae in *cauſis feudalibus* iudicandis verſatur, iurisdictione quaerimus, quando eam DOMINO DIRECTO in FEVDIS EXTRA CVRTEM vindicamus. Limites eius non minus ex *vſu Germaniae*, quam ex ipſa *cauſarum feudalium* indole perſpicimus, quae ſunt *cauſae, quae concernunt iura et obligationes ex feudo iam conſtituto oriunda inter* do-

dominum et inter vaſallum nec non inter vaſallos inter ſe. Feudum omnino *conſtitutum* eſſe oportet, vt iura et obligationes domini vel vaſalli intelligantur: ac proinde de feudo conſtituto conſtare oportet, vt cauſa pro *feudali* habeatur (*a*). Si demum ab *exitu litis* exſpectanda eſt deciſio quaeſtionis, an feudum ſit *conſtitutum*, vtrum res *feudalis* ſit an *allodialis* (*b*), vel an dominus ad feudum alteri *conſtituendum* obligetur (*c*): cauſa haec *praeiudicialis* et non feudalis eſt, ad iurisdictionem ordinariam, non ad feudalem referenda. Quoties vero lis oritur de *iuribus* vel de *obligationibus*, ex *feudo* iam *conſtituto* oriundis.

(*a*) II. F. 10. 16. 20. 34. 39. §. 1. 55. §. 2.

(*b*) Arg. c. 5. X, de foro comp. SCHRADER *de Feud. Part. X. ſect. 6. n.* 136. ROSENTHAL *de feudis Cap. XII. concl.* 4. *n.* 11. MYNSINGER *Cent. V. obſ.* 75. *n.* 6. 7. HVLD. AB EYBEN *de cauſis feudal. Sect. II. in op. p.* 651. IOACH. HILDEBRAND *de recurſu inordinato ad curias feud. in cauſ. non feud. Sect. II.* 16. TOB. REINHARDT *de iurisdictionis allodialis et feudal. conflictu §.* 9. 13.

(*c*) Hinc actionem ex exſpectatiua feudali pro cauſa feudali non habent SCHRADER *l. c. n.* 167. et ROSENTHAL *l. c. n.* 1. 24. 40.

dis, de iisque *aduerſus dominum* vel *vaſallum* agitur, ſiue lis ſit inter vtrumque, ſiue inter vaſallum et conuaſallum, toties eſt cauſa feudalis. E contra lites de iuribus et obligationibus domini et vaſalli, quae *aliunde* quam ex *feudo conſtituto* competunt, ideoque a qualitate feudali non pendent, ad cauſas feudales non pertinent, etiamſi circa feudum verſentur. Conſpirat vſus fori Germanici (*d*), quo cauſae feudales adſtrictae ſunt ad iura et obligationes, quae inter dominum et vaſallum vel inter conuaſallos ex feudo conſtituto oriuntur: ideoque cauſa feudalis non eſt, in qua agitur de obligationibus, quibus dominus vel vaſallus intuitu feudi erga *tertium* obſtringitur, veluti de debitis ex feudo praeſtandis. Ex quibus ſimul iudicium inferri poteſt de vexata cauſa feudali, in qua agitur lis de *modo operarum, in feudum datarum*, inter *vaſallum* et inter *ruſticos* ventilata, ex principiis *iuris communi*-

(*d*) MOSER *von der deutſchen Lehnsverfaſſung* p. 597. 623. 783. de PVFENDORFF *obſ. iur. tom. IV. obſ.* 174.

munis, videlicet ex nexu *dominicae poteſtatis in ruſticos*, non ex feudi conſtitutione diiudicanda, ideoque iurisdictioni feudali non ſubiecta. Neque haec cauſa ſub colore quaſi per nimiam exactionem operarum *abuſus feudi* committatur, cenſu cauſarum feudalium haberi poteſt: quo eam habet Dn. ESTOR (*e*). Namque quaeſtio de abuſu feudi, quam ruſtici vaſallo mouere nequeunt, aliena eſt a lite de legitimo modo operarum a ruſticis praeſtandarum. Immo domino, pendente hac lite de abuſu feudi quaeſtionem mouenti obſtaret exceptio praeiudicii, quod de quaeſtione an? ſeu de legitimo modo operarum adhuc lite contendatur. Ceterum quandoquidem de iudice feudorum extra curtem dicere animus eſt, vt breuis diſquiſitio ordine procedat, expenſis prius, quae vniuerſim domino directo intuitu iurisdictionis feudalis competunt, iuribus, eiusdem eadem in *feudis extra curtem* eſſe iura,

(*e*) *De iurisdictione curiarum clientelarium Germ. et de cauſis feudalib.* c. 6. §. 36.

iura, reuocatis in ſubſidium rationibus legibusque oſtendere, et de eorumdem *appellationis* iudice breuiter dicere iuuabit.

§. VII.

Fundamentum iurisdictionis feudalis.

Cum omnis iurisdictio ſit pars imperii: nulla eſt iurisdictio, niſi quae *iure imperii* vel ex iure ab *Imperante* indulto exerceatur. Iurisdictionem feudalem ex *contractu feudali* repetere, idem foret, ac conuentioni priuatae eam vim tribuere, vt per eam imperii ius in alterum transferri poſſit. Omnis iurisdictio feudalis, ſiue ad *indolem iurisdictionis*, ſiue ad *origines feudorum* animum aduertas, ab imperio eſt. FRANCORVM imperatores, vetuſtiſſimi beneficiorum largitores, in Vaſallos, quos ſubditorum numero ſimul habebant, vi imperii iurisdictionem exercebant; eamdemque ab Auguſto demandatam Seniores, Duces, Comites, ſi quae liberis hominibus beneficia concedebant, quilibet in ſuos vaſſos explicabat. Vnde in Francorum imperio vix alii in vaſallo-

rum

rum numero occurrunt, quam regni Francici, in quo beneficia accipiebant, ſubditi, regum vel mediatam vel immediatam iurisdictionem agnoſcentes: quod adeo verum fuerat, vt in imperii Francici diuiſionibus illud a. ıↄcccvı. inter *Carolum*, *Pipinum* et *Ludouicum*, filios Caroli M. Imp. et inter *Pipinum*, *Ludouicum* et *Carolum*, Ludouici Pii Imp. filios, a. ıↄcccxxxvıı. nominatim caueretur (*a*), *vt homines vniuscuiuscunque eorum acciperent beneficia, vnusquisque in regno domini ſui, et non alterius, ne quando per hoc, ſi aliter fuerit, ſcandalum aliquod poſſit accidere*. Cum itaque nonniſi ipſi Imperatores, vel qui eorum nomine per ducatus, comitatus, pagosue iura dicebant, beneficia indulgerent: ipſa *domini directi conditio*, vt iurisdictio iuncta cum nexu beneficiario eſſet, effeciſſe videtur. Eadem deinde fuit feudorum, inde natorum, eademque iurisdictionis, cum illis iunctae ratio;

(*a*) Vid. Chartas diuiſionis apud STEPH. BALVZIVM Capitul. reg. Franc. Tom. I. p. 443. n. IX. et p. 687. n. V.

ratio: quibus rebus effectum eſt, vt iurisdictio feudalis in propriam ſpeciem abiens, etiam inter *Longobardos* iure legeque Domini feudi redderetur propria (*b*), conſtituto ſimul ex priſco, quo nonniſi aequalis cum reo ſortis homines iudici in ſententia ferenda ſuffragia ferebant, Germanornm more (*c*), *parium curiae iudicio* ad iurisdictionem feudalem in eo exercendam. Iure GERMANICO iurisdictionis iudicis *prouincialis* et *domini directi* hi ſemper limites ponuntur, vt illi de allodiis, ſub eius *diſtrictu* ſitis, huic de *Feudis*, ab eodem recognitis, nulla prorſus *ſitus feudorum* (*d*) ratione habita, cogni-

(*b*) Habemus iuris feud. Longobardici placita *I. F.* 18. *II. F.* 16. 39. 46. *et* 55. *§. vlt.* Quoties ibi *parium curiae* mentio tantum iniicitur, toties intelligitur *iudicium feudale*, cui dominus ſaltem per *vicarium* iudicem, videlicet per *iudicem curiae*, praeſidet.

(*c*) Quem explicat ill. FRIDER. ES. PVFENDORFIVS de *iurisdictione Germ. cap.* I. *§.* 9. *ſequ.*

(*d*) *Ius Feud. Alem. cap.* X. *XVII. XCVIII. CXIX. CXX. Ius feud. Sax. cap. IV. LXV.*

gnitio tribuatur. Non alium vero feudi dominum, quam iurisdictione alioquin praeditum, intelligi poſſe, ipſa feudorum eius aeui ratio loquitur (*e*), cum vix alii, quam quibus ob terrarum defenſionem, in quibus tamquam dynaſtae, comites, duces poteſtatem et iurisdictionem exercebant, ſeruitiis feudalibus opus erat, feuda

Ius Prov. Alem. c. 121. *edit* BERGER. *p.* 321. *Richtſteig des Lehnrechts cap.* 1. *Vet. Autor de benef. cap.* 1. §. 1. *et ſeq.* SCHILTERVS in *Comment. iur. Alem. p.* 112. *et* 361. *et in praxi iur. Rom. ex. XIII.* §. *XXXI.* HERTIVS de *conſult. Legib. et iudic.* §. 26. PVFENDORFIVS *l. c. P. III. Sect. III. cap.* I. §. 3. *et ſeq.*

(*e*) Hoc illuſtrat ſententia *iuris prouinc. Alem.* cap. 96. edit. BERGER p. 147. *Ir ſullend wiſſen, daß allew dew Gericht, dew Weltlichen ſind, dew muß man von ain Romiſchen Kunig emphahen: davon mag nieman geſprechen, daß ain Gericht ſein aigen ſey.* Vnde ius feudale Alemannicum non quemlibet dominum agnoſcit iudicem, ſed eum, qui tantae dignitatis eſt, vt poſſit curiam feudalem celebrare: *Wenn der Herr alſo hoch iſt, daß er Lehnrecht mag han, und hat er alſo vil Manne, die ein Vrtheyll finden mogent, ſo mag er ſinen Mannen wol Tag geben umbe Lehnrecht. Ius feud. Alem. cap. LXXXVIII.* edit. SCHILT. p. 105. *et cap. LXXVI.* ed. BERGERI p. 448.

feuda largirentur. Vnde et iure feudali NORMANNICO, quod Germanici iuris reliquias ſeruat, diſcrimen eſt inter dominum feudi, cui ſeruitia militaria (*f*), et inter eum, cui viliora ſeruitia exhibentur: illi data, huic negata in vaſallos iurisdictio (*g*).

§. VIII.

Vſus medii aeui in ea agnoſcenda.

Iurisdictionem domini directi, ita moribus veterum Germanorum efformatam, confirmant Imperatorum Germaniae iudicata, teſtimonia et conſtitutiones. Se-

culo

(*f*) Vid. *cod. Leg. Normann. cap.* §. 8. in 10. PETR. de LVDEWIG *reliq. Mſcript.* tom. VII. p. 225. *Iuſticiationem habet dominus ſuper omnia feuda, que tenentur de dominis.* et c. III. ibid. p. 152. *Iurisdictio feudalis eſt illa, quam habet quis ratione feudi ſui: vnde ad ipſum pertinet inſcribere de querelis, ex feodo procreatis, et etiam ſuper omnibus aliis querelis, quae contra reſidentes feodi procreantur: exceptis tamen illis, quae ſpecialiter pertinent ad Ducatum.*

(*g*) Vid. Cod. Leg. Norm. c. LV. §. 13. ibid. p. 158. *Sciendum eſt, quod nullus tenens feudorum ſuum per vile ſeruicium, poteſt habere curiam ſuper tenentes de eodem.*

culo XIII. eamdem domino feudi vindicatam vides in decreto RVDOLPHI *Habsburgici* (*a*) de a. 1290. *Extitit per ſententiam conſenſu praecipuorum comitum ac nobilium approbatum et legitime definitum, quod ipſe dominus Vaſallum, praeſentibus aliis Vaſallis, coram ſe ad iudicium poteſt euocare, et cognoſcere poterit pro vel contra ipſum Vaſallum, prout ipſorum dictauerit praeſentia Vaſallorum.* Huius iuris vſum Seculo XIV. exprimit *Gerlaci*, Moguntini Electoris, et *Henrici*, abbatis Fuldenſis, compromiſſum anni 1373. quo hic procedendi modus arbitris praeſcriptus erat, vt cauſas feudales ad *feudorum dominos* referrent, et allodiales ad iudicium, ſub quo bona ſita: *Daſs ſie weiſen ſollen die Lehen vor die Lehenherren, die Erbe vor die Erbherren, und das Eigen an das Gericht, da das Gut gelegen iſt* (*b*). In conſtitu-

(*a*) Quod primus in lucem produxit IO. PETR. DE LVDEWIG in *diſſ. de primo foro ſubfeud. imp. cap. V. §. VI. not.* (*tt.*) p. 66.

(*b*) Vid. GE. CHRIST. IOANNES in Vol. I. *Rerum*

ſtitutione imperii de a. 1398. (*c*) in eamdem rem cauetur: *Hätte auch jemand dem andern zuzuſprechen umb Eigen und umb Erbe, das ſoll man uſtragen an den Gerichten, da die Gute inne gelegen ſint; und umb Lehen, das ſoll man uſtragen vor den Herrn, von den die Lehen rurent.* Continuatum eius iuris vſum Seculo XV. loquuntur *Sigismundi*, *Alberti*, *Friderici* Impp. ſententiae. SIGISMVNDVS Imperator iurisdictionis, feudi Domino in imperialibus aeque ac prouincialibus feudis competentis, vindicem agebat in literis, in cauſa Erici Lauenburgici ad concilium Baſileenſe a. 1434. datis (*d*), ſtatuens, *iuxta for-*

rum Moguntiacarum in not. ad Serrarium de reb. Mogunt. lib. V. ſ. VI. n. 7. p. 677. Similem formulam ex conuentione Dieterici Electoris Moguntini aliorumque imperii principum exhibet IO. AD. KOPP *in Proben des deutſchen Lehnrechts* p. 95.

(*c*) Hanc, imperante Wenceslao, latam de pace publica conſtitutionem exhibet GOLDASTVS *t. I. der Reichsſatzungen.* p. 154.

(*d*) In IO. IOACH. MVLLERI *Reichstagstheatr. unter Frid. V. part. II.* p. 465.

formam iuris ac ſtylum et obſeruantiam ſacri noſtri imperii feudales quaeſtiones coram DOMINIS FEVDORVM, ETIAMSI MINORES VALVASORES ESSENT, *ac paribus curiarum ſuarum* RESPECTV FEVDI, *de quo agitur, decernendas eſſe.* Eiusdem ſententiae eſt ALBERTI (e) conſtitutio de a. 1437. In formula conſtitutionis, in comitiis Nordlingenſibus a. 1466, propoſitae, qua pacem publicam ſancire vehementer cupiebat Fridericus III. Imp. id inter alia pacis muniendae cauſa cauetur (f), *daſs alle Lehen, es ſind obere oder nyder Lehen, berechtet werden ſollen vor den Lehen Herrn und ſeinen Mannen, davon ſie zu Lehen rühren;* quamquam haec ſanctio in finibus nudi tentaminis perſtiterit.

(e) Quae extat apud IO. PHIL. DATTIVM *de pace publ.* p. 178. SCHILTERVM *tom. II. Inſtit. iur. publ.* p. 342. *et* MVLLERVM *l. c. part. I.* p. 90.

(f) Integrum *pacis publicae proiectum* exhibet MVLLERVS *l. c. P. II.* p. 207. eiusdemque compendium iam dederat MARQVARDVS FREHERVS in erudita conſultatione apud LONDORPIVM in *actis publ. lib. I. c. V. n.* 26. *tom. I.* p. 36.

terit. Idem ex vſu Seculi XVI. euincunt foederum, inter ſtatus imperii pactorum, formulae, quibus Dominus feudi ſolus *cauſarum feudalium iudex* agnoſcitur. In confoederatione Nobilitatis immediatae de a. 1522. conuentum eſt (g): *ob jemandes der unſern mit einichen, wer der were, Lehengüter oder Gerechtigkeit halb irrich würde, ſolliche Sachen ſollen nach irer Art und Natur vor den Lehenrichter und Mannen, wie vor Alters Herkommen, verhandelt, gehört und entſchieden werden.*

§. IX.

Iuriſdictio in feudis extra curtem.

Itaque Domini directi in *cauſis feudalibus* iuriſdictio vſu, primaeua feudorum conſuetudine, legibus, quibus perpetua curiarum feudalium obſeruantia accedit, innititur: cuius conſequens eſt, vt cum *attributa feudorum per leges determinata*, eo-

rum

(g) Vid. GOLDASTVS *tom. I. der Reichsſatzung. P. II. p.* 108. Similia placita ex confoederationum formulis exhibet DATTIVS *l. c. p.* 459. *et* KOPPIVS *l. c. p.* 65.

rum naturalia dici ſoleant, iuriſdictio non minus ad *naturalia dominii directi* referenda ſit. *Dominum directum* intelligimus, iuriſdictione aliunde ex ſpeciali titulo vel vi imperii vel ex ſuperioris conceſſione inſtructum; illud omnino largientes, domino directo priuato ſine ſpeciali titulo tribui non poſſe, quae ex ſola conuentione feudali non deſcendit, feudalem iuriſdictionem. Iam cum *naturalia* feudo ineſſe praeſumantur: *iuriſdictio feudalis* cum dominio directo eius, qui alioquin iuriſdictione praeditus eſt, ſemper coniuncta, ac proinde ratione omnium, quae ab eius inueſtitura pendent, feudorum competere iure legeque praeſumitur. Iſtius diſcriminis, vtrum res *in territorio* an *extra illud* ſita ſit, nonniſi tunc, vbi ius aliquod *intuitu territorii* ſeu vi *iuris territorialis* exercetur, ratio habetur. Cum autem dominium directum, vi iuris territorialis non exerceatur; conſequens eſt, ad explicandam domini directi iuriſdictionem feudalem non deſiderari, vt feudum ſimul eiuſdem

dem iuri territoriali obnoxium ſit, ſed, modo eiusdem dominio directo ſubſit, perinde eſſe, vtrum eiusdem ſit, an alieni territorii, ſeu feudum in curte vel extra curtem *(a)*.

§. X.

Quomodo acquiri potuerit in alieno territorio.

Quae quamquam *Domini directi* in feudis extra curtem fundatam *iurisdictionem* euincant: illud tamen praetermittendum non eſt, eius, in quo feudum extra curtem

(a) Conf. KRESSII diſſ. ad *Thumermut.* l. c. §. LXXXII. p. 29. Cel. BVRI *in der Erleuter. des deutſchen Lehnrechts p.* 632. GRIBNERVS *l. c. §. IX. p.* 118. STRVVIVS *l. c. p. I. §.* 15. de GOEBEL l. c. Sect. II. §. 27. IOB. IAC. REINHARTH de *iurisdict. allodial. et feudal. conflictu §.* 15. et 16. FLEISCHER in *Inſt. iur. feudal* Cap. IV. §. 12. 10. PETR. DE LVDEWIG *in iur. feud. Cap. X. qu.* 2. *§. XVI. p.* 538. HVLDER. AB EYBEN de *cauſ. feudal. Sect. V.* §. 8. *et ſeq. in Op. p.* 668. FRIDER. A SANDE in Comment. *ad conſuet. feud. Geldriae* tr. III. §. 2. n. 14. in Op. p. 226. RHETIVS in diſſ. de *feud. Clivenſ. et Zutph. more conceſſ.* Sect. 2. n. 55. LVDOVICI *in Lehn-Proceſs. Cap. II. §.* 22.

 lii.

tem ſitum eſt, *territorii domino*, ſi ex ſola *ſuperioritatis territorialis* vi et efficacia res aeſtimetur, non minus eamdem vindicari poſſe. Cuius enim eſt *vniuerſalis* ratione omnium litium, quae ex conuentionibus ſubditorum cum extraneis inprimis ratione praediorum oriuntur, iurisdictio, eiusdem quoque eſt intuitu cauſarum feudalium, ex contractu feudali, cum extraneo Domino inito, deſcendentium, iurisdictio. Quae cum ita ſint, ad id, vt Domino directo in feudis alieni territorii iurisdictio feudalis tribui queat, vel *Superioris Imperantis*, quoad territorii iuribus derogare potuit, conceſſio, vel *Domini territorii conſenſus*, ſiue expreſſus ſiue tacitus, requiritur, vel iurisdictionem domini directi ante iure competiiſſe oportuit, quam iura territorialia conſtituerentur. Quae vniuerſalia principia in *Imperio Romano-Germanico de iurisdictione* in feudis extra curtem ſub-

ſu-

LÜDER. MENCKENIVS de *ſuperioritatis in territ. imp. clauſ.* §. 110. STRVVIVS *in Obſeruat. feud. cap.* 16. §. *III.* ibique praeiudicium.

ſumere fas eſt: ſiquidem haec, aliorum iurium exemplo, ex laxiori *Imperatorum* vetuſtioris aeui poteſtate ſtatibus imperii in alieno territorio ſubinde obuenit, vel *indulgentia* dominorum territorii comprobata eſt, vel iisdem temporibus, quibus ſuperioritas territorialis natales et incrementa cepit, vna cum hac in alieno territorio nata atque confirmata eſt.

§. XI.

Quatenus competat ex conceſſione imperiali.

Si igitur dominium directum in rebus alieni territorii ab *Imperatoribus* olim proceribus imperii legitime indultum, et ſic feudum extra curtem conſtitutum eſſe ponamus: iurisdictio feudalis vel ſimul *diſerte* indulta eſt, vel dum eius nulla mentio iniecta, *tacite* conceſſa intelligitur, cum quae iuxta ſtilum, obſeruantiam legesque imperii cum dominio directo iuncta, eiusque naturalia ſunt, dominii directi conceſſioni non poſſint non tacite ineſſe,

eſſe. Illud modo obſeruare iuuabit, iuriſdictionem feudalem, cum tacitae vel expreſſae imperatoris conceſſioni accepta feratur, a nemine, niſi ab Imperatore, hoc caſu pendere, ac proinde eius, in quo feudum ſitum eſt, territorii domino plane *ſubordinatam* non eſſe (§. IV.).

§. XII.

Ex conſenſu domini territorialis acquiſita eique ſubordinata eſſe praeſumitur.

Deinde in feudis extra curtem, per *oblationem* extraneorum ſubditorum legitime conſtitutis, iurisdictio feudalis ex moribus Germaniae et annuente domino territorii acquiſita eſt, cum ipſe *Offerens* iurisdictioni Domini directi exteri in cauſis feudalibus ſe ſubieciſſe, tum *territorii dominus* eamdem tacite comprobaſſe cenſeatur. Ea enim eſt conſenſus, in negotium generatim interpoſiti, ratio, vt non in ipſum modo negotium, verum etiam in omnia, quae cum re connexa ſunt, et

et ad rei naturam pertinent, datus eſſe videatur. Allodium itaque Domini exteri, iurisdictione alioquin praediti, clientelae ſubiiciens, cum *dominio* eius *directo*, tum cum illo connexae *iurisdictioni feudali* ſe ſubiicit: Dominus territorii vero, oblationem ſuo *aſſenſu* vel expreſſo vel tacito comprobans, non poteſt non cum ipſo quoque negotio feudali exteri feudi domini *dominium directum* et cum ea connexam *iurisdictionem* agnoſcere. Etiamſi itaque, quod obiici ſolet, largiamur, territorii dominum, in ſubditorum cum exteris initas conuentiones, non niſi *ſalua iurisdictione territoriali*, quae in controuerſiis, ex eiusmodi conuentione oriundis, alioquin fundata eſt, conſenſum indulgere ſolere: ea tamen conuentionis feudalis propria ratio eſt, quod tribuat dominium directum, cum quo *iure legeque* iuncta eſt feudalis iurisdictio, ac proinde territorii dominus, *conſenſum* vel diſerte vel tacite impertiens, dum nihil excepit, in eam, quae ad *naturam dominii directi* pertinet,

iuris-

iuriſdictionem conſenſiſſe praeſumatur. Ceterum hoc argumentum eo valere putamus, vt eam *iuri territoriali*, cui ipſum *praedium feudale* ſubeſt, *ſubordinatam* eſſe euincat. Cum enim ipſum *dominium directum*, ex ſubditorum oblatione in exterum dominum translatum, in nexu *territorialis poteſtatis*, quoad vſque exemtio ab ea vel expreſſo vel tacito domini territorialis conſenſu facta non eſt, ſubſiſtat (§. V.): quae iſti annexa eſt iurisdictio feudalis, huic non minus ſubordinata eſt. Nec eſt, quod obuertas, dominium directum ex *oblatione*, iurisdictionem vero ex *Legum feudalium* diſpoſitione natales ducere, eamque ideo a territoriali iure exemtam videri: obſeruandum enim, iurisdictionem feudalem quidem generatim ex Legibus competere, vt autem in *praediis alieni territorii* exerceatur, ex domini territorialis vel expreſſo vel tacito conſenſu pendere (§. X.), eamque eſſe omnium iurium, in territorio acquiſitorum, rationem, vt iuri territoriali ſubordinata eſſe praeſumantur

mantur. Eodem vero modo, quo in *Dominium directum*, ab extero acquirendum, conſenſit, eodem, inquam, in *iurisdictionem*, cum illo connexam, quoad vſque nihil aliud placuit, conſenſiſſe praeſumitur. Cum vero conſenſus eius in oblationem dominii directi, extero faciendam, conſenſum in exemtionem eius a territoriali poteſtate non complectatur: conſequens eſt, vt nec conſenſus in iurisdictionem, cum illo connexam, huius exemtionem inuoluat. Sed ſaepenumero vel dominorum territorii *indulgentia*, vel directorum *potentia*, vel *territorialis iuris*, *nondum adeo exculti et ſuccrescentis*, rationes effecerunt, vt quae vetuſto tempore oblata dominis extra territorium ſunt feuda, horum liberae, ac territorii domino non ſubordinatae, iurisdictioni feudali ſubeſſe coeperint: vt adeo hac in cauſa ad *obſeruantiam* ſit recurrendum. Quae hactenus de feudis extra curtem, per oblationem conſtitutis, expoſita ſunt, eadem et tunc obtinent, ſi quis alieni terri-

to-

torii praedium, *pleno dominii iure* acquiſitum, nexu clientelari alteri conceſſerit: in feudum extra curtem enim ita conſtitutum domino directo, non niſi conſentiente territorii domino, iurisdictionem feudalem, eamque *ſubordinatam*, obuenire, ex iisdem rationibus apparet (§. V.).

§. XIII.

Iurisdictio in feudis extra curtem agnita eſt in proiecto conſtitutionis Alberti II.

Pro qua hactenus rationibus pugnauimus, luculentior euadet domini directi in feudis extra curtem iurisdictio, ſi eamdem Imperii legibus agnoſci conſtabit. Allodialis et feudalis iurisdictionis fines non obſcure conſtituit ſanctio ALBERTI II. Imp. anni 1438. (a). *Wer aber der Zuſpruch umb Erbe und Eigen, ſo ſoll ſollich Sache mit Rechte uſgetragen werden in den Gerichten,*

(a) Apud MVLLERVM in *Reichstagstheatro unter Friderico V. P. I. pag.* 91. *et* SCHILTERVM *in inſt. iur. publ. tom. II. tit. XIX.* p. 342.

richten, da ſollich Erbe und Eigenthum gelegen ſint: Wer aber ſollich Anſprach umb Lehen oder Herrlichkeit, ſo ſoll der Vſtrag ſin vor den Lehenherrn, vor den ſollich Lehn oder Herrlichkeit herkommen were one Geverde. Quae ſanctio quamquam in finibus nudi tentaminis ſeu, quod aiunt, *proiecti*, perſtiterit (*b*), Alberto mox praematura morte erepto; iurium tamen, quae eo tempore vigebant, non contemnendum teſtimonium continet. Iudicem rei ſitae non niſi in cauſis *allodialibus* competentem agnoſcit, feudalium cognitionem ſoli *domino*, cui nexu clientelari feudum ſubeſt, vindicat. In allodialibus *fori rei ſitae* rationem habet, non in feudalibus, in quibus ſolus *nexus clientelaris* ſufficiebat; vt, modo de hoc conſtaret, perinde eſſet, praediumne feudale ſub foro domini directi an extra illud ſitum eſſet. Et ſi quid coniecturis dandum, formula *one Geverde* intu-

(*b*) Ceu obſeruat MVLLERVS *l. c. cap. VII.* §. 9. p. 90.

intuitu feudorum alieni territorii adiecta eſſe videtur, ne videlicet iurisdictio feudalis in *territorii*, in quo feudum ſitum eſt, *domini fraudem* eiusque iura infringenda vergeret.

§. XIV.

Nec non in literis inueſtiturae.

Vſum iurisdictionis feudalis in feudis extra curtem confirmant tum *Imperatorum* diplomata, quibus, ne alius de cauſa feudali iudex, niſi *dominus*, ſtatueret, praeceperunt (*a*), tum *literae clientelares*, quibus vaſalli non alium, niſi dominum directum, indicem ſe agnoſcere profitentur. Solennis eſt literarum inueſtiturae formula (*b*), *daſs ſie gegen ſollichen Lehen, wes ſie Recht darzu vermeynen zu haben*, nicht *auch nirgen anders, dann mit Recht, und für unſer Stifts Lehnmangericht ſuchen ſollen, als ſich*

(*a*) Exempla ſunt apud SCHANNATVM *in Client. Fuldenſ. Cap.* 3. §. 3. *p.* 45. *et* LVNIGIVM *in Corp. iur. feud. tom. I. p.* 662.

(*b*) Qualis occurrit in literis *Ioannis* abbat. Fuldenſis de 1507. apud SCHANNATVM l. c. *in cod. probat. n.* 392. *p.* 319.

ſich das nach Ordnung unſers Stifts Lehenhofs und Lehenrecht gebürt. Nonnumquam in ipſa feudorum oblatione conueniri ſolebat, quo loco vaſallus in ius vocaretur, ne ei extranei domini iurisdictio ob locorum longinquitatem grauis et oneroſa eſſet. Ita Wortwinus, caſtrum ſuum Staden abbatiae Fuldenſi in feudum offerens, conuenerat (c), vt quando ſuper eiusdem caſtri beneficio *rationem redditurus eſſet in praeſentia Domini ſui abbatis, nullo prorſus hoc loco cogeretur agere, niſi in his tribus, Phetdervuile, Omunſtat et Hoiſte.* Quandoquidem vero pars officii maxima vaſallorum eſt, agnoſcere domini directi iura eaque tueri: cautela inualuit, vt in ipſo fidelitatis iureiurando ad agnoſcendam Domini directi iurisdictionem vaſalli adſtringerentur, *die Lehn nirgend anders, dann vor den Lehnherrn, zu verrechten* (d): cuius cau-

(c) Vid. Conuent. inter *Wortwinum et abbat. Fuld.* de an. 1156. *ibid. n.* 154. *p.* 259.

(d) Qualem iuriiurandi formulam in communi, quae Mundenſe a. 1576. a Sereniſſimo

 Duce

cautionis adhibendae praecipua ratio in feudis extra curtem, quorum intuitu iurisdictio feudalis domini directi facilius *in diſcrimen* vocari poterat, omnino poſita eſſe videtur.

§. XV.

Eius agnitio in capitulatione caeſarea.

Iurisdictioni feudali Domini directi in feudis extra curtem, rationibus, legibus, vſu atque obſeruantia agnitae, vis ac robur acceſſit ex capitulationis CAROLI VII. et FRANCISCI Imperatorum diſpoſitione (a): *die Churfürſten, Fürſten, und Stände des*

Duce Brunſuicenſi Erico habita eſt, curia feudali omnes Vaſalli praeſtiterunt. Vid. LVNIGII *Corp. iur. feud. tom. II.* p. 1444. Eadem eſt formula *vaſallagii* in *Corp. Conſtit. Celleuſ. tom. IV. c.* 6. *p.* 368. *die Lehne an keinen andern Ort, denn für Seine Königl. Majeſtät und Churfürſtliche Durchlaucht zu verrechten*; cuius clauſulae praecipua vis eſt in feudis extra curtem. Similem formulam Vaſallorum Brandenburgicorum, Megalopolenſium, Bambergenſium exhibet LVNIGIVS l. c. *tom. I. p.* 1533. *tom. II. p.* 1218. 1578.

(a) Art. XXI. In eamdem fere rem in *anteriorum Imperatorum capitulationibus* cautum erat, vt

des Reichs, (die freie Reichs-Ritterſchaft mitbegriffen) wegen ihrer angehörigen Lehen, SIE SEYEN, GELEGEN WO SIE WOLLEN, *bei ihren Lehnsherrlichen Befugniſſen auch* GERICHTBAHRKEIT *in denen dahin nach den Lehnrechten gehörigen Fällen allerdings ohnbeeinträchtigt zu laſſen, und ihnen darinn von keinem Reichsgerichte neque ſub praetextu continentiae cauſarum neque iudicii vniuerſalis eingreifen zu laſſen.* Quae nouiſſimae capitulationis diſpoſitio quamquam ad domini directi iurisdictionem in feudis cum in curte tum extra curtem aduerſus *ſuprema imperii iudicia* tuendam defendendamque pertineat, ſufficit tamen, vniuerſim agnoſci Domini directi in cauſis feudalibus ratione feudorum *extra curtem* iu-

vt Domino directo ſalus eſſet feudorum, vbicunque ſitorum, ob feloniam priuatio: eoque ipſo eius quoque de feudi priuatione cognitio in feudis extra curtem agnita eſt. *Art. XXVII. capit.* LEOPOLDI, et IOSEPHI, *Art. XXI. Cap.* CAROLI VI. OTTO THYLIVS in *comment.* ad *capitul. Caroli VI.* p. 242. et ERICVS MAVRITIVS in *not.* ad *capitul. Leopoldi in opuſc.* p. 850.

iuriſdictionem. Quae vero ibidem ſpeciatim cauentur, ne iudicia imperii ſub colore *continentiae cauſarum* vel *iudicii vniuerſalis* manum iniiciant in cognitionem cauſarum feudalium, id vnice pertinet ad tuendum *ius primae inſtantiae Statuum Imperii* aduerſus *tribunalia imperii* (*b*). Ceterum de iurisdictione *Statuum imperii*, quae eisdem intuitu plurium perſonarum bonorumue, in eodem territorio ſitorum ſed, diuerſis iudiciis eiusdem et diuerſi territorii ſubiectorum, ex continentia cauſarum vel vi iudicii vniuerſalis competere poteſt, nihil ibidem actum, nec ſupremis prouinciae tribunalibus *Statuum imp.* negata eſt iuriſdictio, quae vtroque titulo etiam in *cauſis feudalibus* ſecundum *ius Commune* fun-

(*b*) Diſputatum olim fuerat inter iurium interpretes, an propter lites ratione feudorum, a diuerſis dominis immediatis recognitorum, motas, ſuperior adiri ex continentia cauſarum poſſit? Affirmatiuam ROSENTHAL *Cap. XII. concl. I. n.* 85. 88. ZANGER de *Except. Cap. I. part. II. n.* 302. et ſeq. tuiti ſunt, negatiuam KLOCKIVS *Vol. II. conſ.* 60. 61. et ſeq. Conf. ESTOR *de iurisd. cauſar. clientelar. cap. I. et II.*

fundari poteſt. Fac itaque, agi de ſucceſſione in feuda in *eodem territorio* ſita, ſed a *diuerſis dominis directis*, etiam *exteris*, recognoſcenda, vel de vniuerſali in allodia et feuda ſucceſſione; cauſa vi *continentiae cauſarum* vel *vi iudicii vniuerſalis* vocari poteſt ad ſuprema *prouinciae* tribunalia (*c*).

§. XVI.

An iurisdictioni in feudis extra curtem obſtet ius de non euocando.

Sed ne, quae dubiam reddere domini feudorum extra curtem iurisdictionem poterant, praetermiſiſſe videar, non minimo offendiculo haec in alieno territorio exercita iurisdictio *iuri*, quod non alium niſi territorii dominum in praediis territorii iudicem agnoſcit, *territoriali* eſſe, nec minus cum inſigni illo de *non euocando ſubditos* ad iudicium extra territorium iure pu-

(*c*) Rationibus et praeiudiciis hoc inſtruit DAV. GE. STRVBEN *in Rechtl. Bedencken* N. CXIV. *tom.* I. *p.* 266.

pugnare, eaeque forte rationes GOTTL. GERHARDVM TITIVM (a), vt *domino territorii*, in quo feudum ſitum, non extraneo feudi domino vindicaret in cauſis feudalibus iurisdictionem, mouiſſe videntur. Non minimi ſane ponderis ſunt priuilegii Electoralis de non euocando verba, ſubditos ad nullum tribunal *pro quacunque cauſa criminali, ciuili, vel mixta; ſeu quocumque negotio extra territorium cituri debere* (b); quae generalia verba vti non minus ad cauſas feudales pertinere videntur, ita nonnumquam in priuilegiis de non euocando feudalium cauſarum mentio diſerte iniicitur, vt in priuilegio CAROLI IV. *Friedbergenſibus* anno 1300. dato (c), *daſs niemant uf ir*

(a) In *Deutſchen Lehn-Recht Cap. XXVIII. §.* 44. *et* 45.

(b) In *Aurea Bulla tit. XI.* cum qua conſpirant Imperii Conſtitutiones, quae ius de non euocando omnium ſtatuum commune reddunt, *Rec. Imp. de a.* 1512. *tit.* 3. *§.* 13. 14. *Ord. imp. cam. p. II. tit.* 1. *Receſſ. Imp. de a.* 1654. *§.* 164. *Capitul. nouiſſ. art. XVIII.*

(c) Quod extat in *gründlichen Bericht der H. R. Stadt Friedberg Rechten Part. II. n. XXI.* p. II.

ir Libe oder uf ir Gut, is ſy Eigen, Erbe, Lehen, Phantgut, oder wy is genant is, ſy laden, heiſchen, oder beklagen ſal oder mag vor keinen Richter oder ymand anders, wy er genant iſt, wann nur alleine vor irme rechten Amptman. Verum enim vero iurisdictio *domini directi* intuitu *feudorum extra curtem* non modo ipſis imperii legibus probata, verum etiam ab ipſo territorii domino vel expreſſe agnita eſt, vel tot annorum vel ſaepenumero ſeculorum decurſu non potuit non tacite agnoſci: in qua vel *expreſſa* vel *tacita agnitione* ratio idonea continetur, quare nec de iure territoriali, nec de iure de non euocando laeſo (*d*), conqueri queat territorii dominus (*e*). Rem omnem

(*b*) Confer quae de iure de non euocando, multis rationibus hodie reſtricto, diſputat Cel. FRIDERICVS BVRI in *Vorrechten der Bannforſte zu der Dreyeich p.* 299.

(*c*) Eam in rem STRVVIVS *in obſeruat. feud. ad cap. XVI. n.* 3. *Sed quid*, inquit, *ſi Vaſallus habeat priuilegium de non euocando? Nihilominus illud forum ratione feudi locum habebit: quia iſthoc priuilegium non obeſt legitimis et peculiaribus ratione rei, de qua agitur, competentibus, foris. Conf.* SCHRADER

 de

omnem confirmat illa *Aureae bullae tituli XI.* appendicula, quae in exemplo aureae bullae, a Wenceslao Imperatore profecto, et in corpore Receſſuum Imperii, a. 1527. Caroli V. auſpiciis compilato, deprehenditur (*f*). quae etiamſi genuina Aureae bullae ſanctio non ſit, iuris tamen de non euocando declarationem *ex vſu et ſeculi XV. et XVI. obſeruantia* comprehendit. *Hanc autem legem propter quaedam dubia, quae ex ea orta fuerunt, de illis duntaxat feudalibus vaſallis debere declaramus intelligi, qui feuda, bona, et poſſeſſiones a principibus electoribus eccleſiaſticis et ſecularibus dependentes, quae de temporali ipſorum iurisdictione conſiſtunt, obtinere noſcuntur, et actualiter et realiter reſident in iisdem. Si vero tales Electorum principum Vaſalli et homines ab aliis etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſiue Principibus ſimilia feuda*

de *feud. P. X. Sect. I. n.* 202. WEHNER *tom. VI. Symphorem. Gylmanni* p. 5. HORNIVS *in iurisprud. feud. Cap. XXV. §.* 15.

(*f*) Ceu obſeruat de SENCKENBERG in diſſ. de *euocationibus*, iuncta tr. ZANGERI de *except. tom. II. p.* 1463.

feuda poſſident, et larem fouent in illis, ex tunc ſi iidem archiepiſcopi, epiſcopi vel principes ab imperio bannum habent, et priuilegium, duella coram ſe agi permittere, apud illos agat de talibus. Eadem declaratio euincit, excitatam Friedbergenſis priuilegii formulam non de aliis vaſallis, quam qui a ciuitate Friedbergenſi feuda habebant, intelligendam eſſe: id quod ex alio *Caroli IV.* priuilegio anni 1355. apparet (g), quo, quae ab eadem ciuitate nexu beneficiario pendebant feuda, confirmat. Ceterum in iure de non euocando origo poſita eſſe videtur iuris ſingularis, quod Marchiones Brandenburgici intuitu feudorum, in terris Auſtriacis ſitorum, et ab ipſis recognoſcendorum, curiam feudalem *Lehn-Tag* et *Lehn-Gericht* in territorio Auſtriaco per commiſſarios, ſpeciali mandato inſtructos, inſtituant, vaſallos vero ad inueſtituram extra territorium euocare nequeant (h). §. XVII.

(g) Vid. cit. *Bericht von der Stadt Friedberg, l. c. n. XXII. a.*

(h) BVRCH. GOTTH. STRVV. de *dominio directo in alieno territorio Part. II. §. 13.*

§. XVII.

Ius domini territorialis recipiendi appellationem in cauſis feudorum extra curtem.

Satis de iudice feudorum extra curtem dictum puto, ea praetermittens, quae dominos directos, *iurisdictione deſtitutos*, concernunt, quales ſaepenumero ſunt domini ſubfeudorum extra curtem: quae enim horum intuitu inter vaſallos et dominum et inter conuaſallos oriuntur lites, in ordinario rei ſitae iudicio ventilandae ſunt (a). De *appellationis iudice* feudorum extra curtem quaedam delibare iuuat. Cum ita comparata ſit omnis appellatio, vt ad eum, cui iudex primae inſtantiae ratione iurisdictionis proxime ſubeſt, dirigatur: iudex appellationis ratione feudorum extra curtem is erit, cui horum feudorum [illegible] do-

(a) Sic cum Nobiles de Vslar, de Hanſtein, de Stockhauſen intuitu ſubfeudorum, quae habent in principatu Gottingenſi, nec non in territorio Moguntino et Haſſiaco, iurisdictione feudali deſtituantur, cauſae feudales, intuitu iſtorum ſubfeudorum ortae, ad ordinarios locorum iudices deferuntur.

dominus ratione *dominii directi* et cum ea connexae *iurisdictionis ſubeſt.* Enim vero dominium directum in feudis alieni territorii, quoad uſque exemtio vel expreſſo vel tacito territorii Domini conſenſu facta non eſt, in nexu *ſuperioritatis territorialis* ſubſiſtere (§. V.), eoque nomine et cum eo coniunctam iurisdictionem huic ſubordinatam eſſe, ſupra obſeruauimus (§. XII): cuius rei conſequens eſt, vt iurisdictio in feudis extra curtem obnoxia ſit *prouocationi ad territorii dominum (b)*, cum ius recipiendi appellationem ſit ius ſuperioritatis territorialis, intuitu iurisdictionis, quocumque nomine aliis *per territorium* obuenerit, competens, niſi eam exemtam eſſe appareat (*c*). Nec hoc om-

(*b*) GRIBNERVS *de dominio directo in alieno territ.* §. 7. 9. TITIVS *in iure priuato lib.* II. *cap.* 20. §. 17. 18. Dn. *Pufendorff obſ. iur. vniu. tom. I. obſ.* 100. Dn. SENCKENBERG *in prim. lineis iur. feud.* §. 404. D. STRVBEN *in Rechtlichen Bedencken tom. I. reſp.* 113.

(*c*) Vnde recte PHIL. KNIPSCHILDT de *Nobilitate* lib. III. cap. XXV. n. 30. *quodſi,* inquit,

omnino alienum eſt a moribus medii aeui; iure *feudali Alemannico (d)* appellatio vel ad Imperatorem, vel ſi hic abſit, ad *Dominum territorii*, in quo feudum ſitum eſt, admittitur. *Vnd iſt das Gut des Herrn eigen (e) ſo mag er die Vrtheil ziehen an den König, ob er in Teutſchen Landen iſt. Iſt des nicht, ſo ziehe er es vor den Landrichter (f), da ſoll der Herr mit Recht hinkommen, - - ob das Gut in ſeinem Gericht iſt.* Sed hoc diſcrimen iure hodierno attendi non poſſe, ex eo apparet, quod ea hodie ſit

quit, *alius feudi dominus ſuperior nullus ſit, tunc ad ordinarium rei controuerſae iudicem, ſiue rei ſuperiorem, appellatio dirigenda.*

(d) Cit. *cap. XVIIII.* cum quo conſpirat *Ius feud. Sax. cap. XXX.*

(e) Si videlicet Dominus feudum Vaſallo ex *allodio ſuo* conſtituerat, vt recte obſeruat SCHILTERVS in *comm. ad ius feud. Alem. c. XVIII. §. II.* vel etiam, ſi Vaſallus allodium ſuum in feudum obtulerat; vtroque caſu dominium directum *iure allodiali* eſt penes feudi dominum.

(f) Egregie obſeruat SCHILTERVS l. c. §. VI. hunc eſſe iudicem prouincialem *ſeu dominum territorialem, der Landesherr; in deſſen Lande oder Gerichte das Gut liegt.*

ſit omnium appellationum ratio, vt ad prouincialia prius, quam ad imperii tribunalia deferenda ſit, nec hodie ſuprema Imperii et prouincialia iudicia in recipienda appellatione concurrant. Itaque hodie inuerſa ratione dicendum eſt, appellationem primo loco ad *territorii domini iudicia* (g), et ab horum demum ſententiis ad *imperii iudicia* deferendam eſſe; niſi eam forte ex *longaeua obſeruantia*, praeterito territorii domino, ſtatim ad imperii tribu-

(g) Rem illuſtrat diploma FERDINANDI I. Wilhelmo Duci Iuliacenſi a. CIƆIƆLIX. datum apud TESCHENMACHERVM in *Annal. Cliuiae in Cod. diplom.* p. 184. quodque excitat LVDOVICI in *Lehnsproceſs cap. XIV.* In *ſimili caſu* Wilhelmum conqueſtum eſſe refertur, *welchergeſtalt etliche ausländiſche Stifft und Collegia, auch von Adel in ſeiner Libden Furſtenthume und Landen ſonderbahre Gericht haben, deren etliche Hoffgeding oder etliche Lauenberg genannt werden - - - von welchen dann offtmahl nicht an ſeine Libden als Landes-Herrn, darunter die ſtreitigen Güter gelegen, ſondern an andre ausländiſche Obrigkeiten, und von dannen an unſer Kaiſerlich Cammergericht appellirt wurden.* Hanc in rem conſtituit imperator, *daſs ſolche Appellation an ſeine Libden als den Landes-Herrn* ge-

tribunalia dirigi conſtet. Immo ſi feuda extra curtem in territoriis, *priuilegio de non appellando* munitis, veluti in Electoratibus, ſita eſſe contingat, ſpecialis adhuc ratio accedit, quod eorum ſubditi, quales ſunt praediorum territorii, ab exteris Dominis directis recognoſcendorum, poſſeſſores, ad ſuprema imperii iudicia ſub appellationis ratione vocari nequeant, ideoque ſola *territorii ſuprema iudicia* ſuperſint, ad quae ab extranei domini directi ſuper eiusmodi feudis extra curtem lata ſententia dirigatur fundata iure Germanico feudali appellatio.

§. XVIII.

Idem obtinet in ſubfeudis extra curtem.

Quoties itaque de *ſpeciali obſeruantia* non conſtat, ius recipiendi appellationem aeſtimandum eſt ex ſola *ſubordinatione*, qua iuris-

gezogen werden ſollen. Quamquam ibi agatur de extraneorum dominorum iudiciis, *in* alieno territorio conſtitutis: eadem tamen ratio adeſt, ſi extranei Domini de praediis, *in* alieno territorio ſitis, iurisdictionem in propriis iudiciis explicant.

iurisdictio in feudis extra curtem obnoxia eſt domino territorii. Idem vero obtinet, ſiue dominus feudi extra curtem dominium directum *iure allodii*, ſiue illud *iure clientelari* habeat ab extraneo (*a*). Etiamſi is enim *ſuperiorem dominum directum extraneum* agnoſcat, quod inprimis contingit in *ſubfeudis extra curtem:* inde tamen prorſus non conſequitur, iurisdictionem feudalem quoque, quam ſubdominus exercet, eſſe in nexu feudali: haec enim magis moribus Germaniae et ex *conſenſu domini territorii* expreſſo vel tacito acquiſita eſſe praeſumitur. Itaque per *inueſtituram ſubfeudi* in alieno territorio fundari

(*a*) Quodſi dominus dominium directum in alieno territorio ab *eiusdem territorii* Domino *nexu feudali* recognoſcit: dubium non eſt, quin appellatio ad dominum territorii eiusque iudicia territorialia dirigenda ſit. HENRICVS DE BVNAV in examine diſſert. *Neumanni de Pucholtz de iurisd. feud. et ſuperiorit. territ. c.* 6. §. 3. *in tom. III. theſaur. iur. feud.* p. 715. Hinc a iudicio feudali *comitatus Honſteinenſis*, tamquam territorii ſubordinati, appellatur ad *iudicium Cancellariae*, quod Hanouerae eſt.

dari non poteſt *ius recipiendi appellationem*, quippe quod eſt effectus *ſuperioritatis* et eius *iurisdictionis*, quam *dominus territorii* habet in bona landſaſſiaca (*b*): pro qua praeſumtio tamdiu militat, donec ius recipiendi appellationem domino ſuperiori ſpeciali titulo vel obſeruantia acquiſitum eſſe doceatur. Eadem ratio interuenit, ſi dominus directus extraneus iurisdictionem in feudis extra curtem exercet in *curia*, in *ſuo territorio* conſtituta. Cum enim locus, vbi haec exercetur, immutare non poſſit *rationem iurisdictionis feudalis*, domino territoriali, cui feudum ratione ſitus

(*b*) IO. SCHILTERVS in praxi iur. Rom. ex. 6. §. 12. Dn. STRVBEN *l. c. reſp.* 113. In hoc tamen argumento, *legibus non definito*, et ex *rationibus iuris* definiendo, interpretes in varias ſententias abeunt, et alii ad dominum feudi ſuperiorem appellandum eſſe putant, inſuper habita ratione, quod quamuis ſubdominium directum ei ſubordinatum ſit, iurisdictio feudalis tamen in alieno territorio ſubeſſe non praeſumatur. ROSENTHAL *de feud. c.* 12. *concl.* 20. *n.* 3. STRVVIVS *in Synt. iur. feud. c.* 16. §. 9. HORN *iurispr. feud. c.* 25. §. 23. LVDOVICI *Lehns-Proc. c.* 14. §. 1. 2.

tus ſubiectum eſt, *ſubordinatae*; nec huic inde interuerti poteſt ius recipiendi appellationes, vi poteſtatis territorialis competens. Cuius rei conſequens eſt, vt a *curia feudali domini extranei*, ad quam lites de feudis extra curtem deferuntur, appellari non poſſit ad eiusdem tribunalia ſuperiora ſui territorii: namque iudicia diuerſarum inſtantiarum ad explicandam quidem *iurisdictionem territorialem* conſtitui potuerunt, non vero ad iurisdictionem *in alieno territorio* acquiſitam, et *ſuperioritati domini alieni territorii* ſubordinatam: niſi domino extraneo iurisdictionem *primae* et *vlterioris inſtantiae* in feudis extra curtem ſpeciali titulo, veluti *conuentione* et *obſeruantia* acquiſitam eſſe, appareat. Atque haec principia vſu fori probata ſunt in feudis in Electoratu Brunſuico-Luneburgico ſitis et a Dominis directis extraneis recognoſcendis: eaque perſpicere praeſtat ex Reſcripto *illuſtriſſimi Regiminis*, quod Hanouerae eſt, ad iudicium Cancellariae dato d. d. 11. Sept. 1758. *Unſere* — *Aus*

derer Herrn Schreiben vom 18ten May dieſes Jahrs haben wir des mehrern vernommen, was dieſelben, bey Gelegenheit eines zwiſchen denen Gevettern Denecken über gewiſſe in hieſigen Landen belegene von der ehemaligen Herrſchaft Pleſſe Lehnrührige Länderey, entſtandenen Rechts-Streites ſo wohl in pto Appellationis a iudicato curiae feudalis ad Dominum territorii als auch ſonſt in Anſehung des dieſſeitigen Anſpruches auf beſagte Herrſchaft Pleſſe und die davon vormahls releviite Lehn-Stücke, berichtlich angezeiget und zur Anfrage gebracht haben.

Wir ohnverhalten darauf, daſs wir bey hieſiger Lehn-Cammer allerdings zum *Principio* angenommen und veſtgeſtellet haben, daſs in ohnſtreitigen Lehns-Sachen die Cognition auswärtiger Lehns-Richter nur zur erſten *Inſtantz* für begründet zu achten und Statt haben ſolle, und daſs die Appellationes von dergleichen Unter-Lehns-Richtern nicht an deren Lehns-Oberrichter ſondern an die hieſige höhern Gerichte ergehen müſſe, wie ſolches in cauſa Ruſt contra Ruſt der Hildesheimiſchen Regierung zu erkennen gegeben worden, da man eine ohnſtreitige Lehns-Sache, ſo bey der Amtsvoigtey Ilten bereits eingeführet geweſen, von da ab und an das Gräfl. Plettenbergiſche Unterlehn-Gericht zu Boltzum Stift Hildes-

decheims verweiſen laſſen, die Appellation aber von dem Iudicato beſagten Lehn-Gerichts der Celliſchen Iuſtiz-Canzeley ausdrücklich vorbehalten und gedachter Iuſtiz-Canzeley ſolcherhalb das nöthige derozeit aufgegeben hat. Wie nun ſolchemnach die Herrn in der, vorbemeldeter Sache wegen, an die Heſſencaſſelſche Regierung zu erlaſſenden Antwort, die Appellation von dem Iudicato Curiae feudalis denen hieſigen höheren Gerichten ausdrücklich vorbehalten werden, alſo haben auch dieſelben die Se. Königl. Majeſtät U. A. H. an der Graffchaft Pleſſe und denen ehemahligen Pleſſiſchen After-Lehnen zuſtehende gerechtſame zugleich mit zu reſerviren. Wir — Hannover den 11ten Sept. 1758.

OBSERVATIO XIII.

de ceſſione hypothecae feudalis absque domini conſenſu valida.

ARGVMENTVM.

I. *Variae de hoc argumento ſententiae.*
II. *Ius creditoris cedendi hypothecam feudalem.*
III. *Conſenſus domini in eius ceſſionem nec iure nec rationibus iuris deſideratur.*
IV. *Expenduntur dubia.*
V. *Conſenſus Domini in hypothecam praeſumitur datus eſſe in rem, non in perſonam creditoris.*
VI. *Differentia iuris feudalis communis et Saxonici.*
VII. *Vis hypothecae feudalis ceſſae.*

§. I.

Variae de hoc argumento interpretum ſententiae.

Quamquam extra dubium poſitum ſit, *hypothecam* a vaſallo non niſi interueniente *Domini directi conſenſu* in feudo legitime conſtitui: magis tamen haec quaeſtio diſputata eſt, vtrum *eiusdem conſenſus* ad

ad *hypothecae feudalis ceſſionem* deſideretur, vt ceſſionarius eisdem, quibus cedens, iuribus commodisque fruatur. Quod argumentum in iure feudali Longobardico neglectum praetermiſſumque, exercuit interpretes in eo occupatos, vt quod ei deeſſet, ex eius analogia ſupplerent. Alii hypothecae feudalis ceſſionem *ſine domini conſenſu* valere (*a*), alii eam *ex eo* demum vim omnem ſortiri exiſtimant (*b*). *Poſterior* ſententia maxime *in Saxonia* defenſa eſt; eaque, vt ibi ſolent non ſine magno commodo quaeſtiones in foro diſputatae *deciſione publica* definiri; iam ſuperiori ſeculo conſtitutione Electoris *Ioannis Georgii* de d. 1. Febr. 1614. approbata eſt: *und obwohl die Rechtslehrer über die Frage: Ob ein Unterpfand, ſo mit des Lehnherrn conſens*

(*a*) LVDOLPH. SCHRADER *in tr. feud. Part. VII. c.* 2. *n.* 26. 27. 28. 29. 30.

(*b*) MARINVS FRECCIA, *Patricius Neapolitanus*, in *commentariis feudalibus lib.* 2. *p.* 192. ANDR. RAVCHBAR *quaeſt. iur. ciuil. et Sax. qu.* 6. *n.* 29. 30. PETR. HEIGIVS *quaeſt. iur. Part. II. qu.* 5. *n.* 24.

ſens auf ein Lehngut verſchrieben, einem andern, ohne anderweit neuen conſens cediret werden könne, zweifelhaftiger Meinung, ſo laſſen wir uns doch derer Opinion, ſo je und alle Wege an unſerm Hofe bishero gehalten, auch darnach in vorfallenden Sachen ſententioniret und erkant, gefallen, die den neuen conſens vor nöthig erachten, und ſoll ſowohl in praeteritis als futuris negotiis keine dergleichen ceſſion ohne des Lehnsherrn neue Einwilligung, unangeſehen der Verſchreibung und darüber zu Anfang ausgewürckten conſens die clauſul, von ieden getreuen Inhabern, einverleibet, vor kräftig erkennet werden. Idem repetitum in *Ord. recogn. proc. Sax. tit. XLVI.* §. 7. cautumque, vt, etiamſi dominus, *conſenſu in hypothecam interpoſito*, ſimul in feudi alienationem conſenſerit, vel inſtrumento, ſuper conſenſu condito, clauſulam, *von iedem getreuen Inhaber*, inſeri permiſerit; hypotheca tamen *non niſi domini conſenſu de nouo ſpeciatim impetrato* efficaciter cedi poſſit. Quae quamquam ad ius *particulare Saxonicum* pertineant: multi tamen ex iu-

ris

ris Saxonici commentatoribus eandem ſententiam ex iure *communi* tuendam cenſuerunt (*c*); cum contra rectius et ex *iuris feudalis communis* analogia ſenſiſſe videantur, qui ceſſionem hypothecae feudalis ſine nouo domini conſenſu validam eſſe exiſtimant (*d*); quod breuiter exponere propoſitum eſt.

§. II.

Ius creditoris cedendi hypothecam feudalem.

Hypotheca feudalis, de cuius ceſſione quaeritur, tamquam *ius allodiale*, creditori in feudo acquiſitum, aeſtimandum eſt. Si enim quidquid a nexu feudali liberum et immune eſt, pro *allodio* habetur;

(*c*) CARPZOVIVS *reſp. iur. lib. V. reſp.* 36. et de *Onerib. vaſall. feud. dec. II. poſ.* 7. BERLICH *P. II. concl.* 29. *n.* 31. IO. BALTH. WERNHERVS *in enunc. fori hod. P. I. en.* 127. CHRIST. PHIL. RICHTERVS *de iur. et priuil. credit. c. IV. ſect. II. n.* 160.

(*d*) SCHRADER *l. c.* STRYK *de caut. contr. Sect. II. cap. IV. §.* DAV. MEVIVS *P. VII. dec.* 311. *et Part. VIII. dec.* 384. AVG. LEYSERVS *in med. ad Pand. ſp.* 332. *m.* 4.

tur: dubitari certe nequit, quin hypotheca in feudo creditori in ſecuritatem crediti a vaſallo ex domini conſenſu conſtituta, allodii iure cenſenda ſit, cum creditor nullam ſuſcipiat ad fidelitatem obligationem neque erga vaſallum hypothecam conſtituentem, neque erga dominum in eandem conſentientem. Quod vero cuilibet competit, *liberum* de iure ſuo allodiali diſponendi, idque in alterum transferendi *arbitrium* (*a*), niſi vel lege vel conuentione reſtrictum ſit, idem et creditori intuitu hypothecae feudalis tribuendum eſt. Neque enim dubium eſt, quin hypotheca eorum iurium numero ſit, quae libere ceduntur: cum ad iura realia pertineat et ad heredes transmittatur. Nec incognitae ſunt leges, quibus creditori ius datur pignus *pignori dandi* (*b*), ideoque et ius pignoris et hypothecae alteri cedendi. Si ergo liberum ius creditoris, hypothecam feudalem cedendi, rationibus iuris allodialis innititur; id ipſi recte vin-

(*a*) L. 21. C. *Mandat.*
(*b*) L. 1. 2. C. *Si pignus pign. dat.*

vindicatur, cum hypotheca, tamquam ius allodiale, ex huius iuris principiis recte aeſtimetur.

§. III.

Conſenſus domini in eius ceſſionem nec iure nec ex analogia iuris deſideratur.

Atque hoc argumento in ceſſione hypothecae feudalis vel ideo vtimur, quod haec neque *iure feudali Longobardico* neque ex eiusdem *rationibus* ad conſenſum domini directi adſtricta ſit. Primo quidem ipſe *defectus ſanctionis feudalis* argumento eſt non contemnendo, ius creditoris eo, quod lege feudali non ſit circumſcriptum, liberum et tale eſſe, quale eſt ex *iuris allodialis* natura. Deinde deficiunt iuris feudalis *rationes.* Namque in iuris diſciplina hanc formulam ſequimur, vt, in *cuius praeiudicium* actus non vergit, *eiusdem conſenſu* opus non ſit in actu ineundo. In ceſſione hypothecae feudalis de ſolo agitur *iure creditoris* in alterum transferendo; ex quo nec iuribus *domini directi* nec *va-*

ſalli

ſalli quidquam detrahitur, cum cedens et ceſſionarius habeantur pro eadem perſona, et hic illius iure vtatur: ideoque perinde ſit, ſiue *creditor* ipſe ſiue eius *ceſſionarius* hypothecam perſequatur. Si quod in hypothecae iure extremum eſt, ius videlicet creditoris, *actione reali* feudum obligatum perſequendi eiusque *diſtractionem* petendi conſideramus, id quidem *principio* recte competere, conſtat, cum dominus in hypothecam conſentiens vim omnem et *effectum hypothecae* agnouiſſe et comprobaſſe cenſeatur. *Deinde* ſiue ipſe creditor ſiue eius ceſſionarius vim hypothecae vrgeat, ex eo iuribus Domini praeiudicium nullum imminet, ſiquidem quamdiu *tanquam immiſſus* creditor feudum tenet, nomine vaſalli debitoris, cuius nexus cum domino ſaluus perſiſtit, feudum poſſidet, ad rationes de fructibus perceptis et percipiendis obſtrictus. Etiamſi *tandem* creditor immiſſus de *feudo diſtrahendo* contendat; neque hoc loco eſt, quod domino vllum praeiudicium immineat, cum et

tunc

tunc ceſſionarius via iuris in ipſo *iudicio feudali* de feudo diſtrahendo agat. Quocunque *denique* modo cauſa ad feudi obligati *alienationem* deducatur: tum quidem, ſiue haec a cedente ſiue ab eius ceſſionario petatur, *nouum domini conſenſum* interuenire neceſſe eſt, non quidem ratione ipſius alienationis, a Domino, in hypothecam conſentiente, tacite iam comprobatae, quam potius tum ratione *noui vaſalli*, ne ipſi parum acceptus vaſallus obtrudatur, tum ratione *iuris protimiſeos* Domino competentis. Deficiunt itaque rationes, nouum Domini conſenſum in ceſſionem hypothecae feudalis exigendi, cum ex hac incommodum nullum ad eundem redundet. Quae cum ita ſint, facile iudicium eſt de his, quae obiiciunt HEIGIVS (*a*) et CARPZOVIVS (*b*), *quod nempe multum domini interſit ſcire ac noſſe, quem habiturus ſit vaſallum vel ſubditum propter militaria ſeruitia et induſtriam certae perſonae?*

Quo

(*a*) *Quaeſt. iur. P. II. qu.* 5. *n.* 31.

(*b*) *In reſponſ. lib. V. reſp.* 36. *n.* 9.

Quo enim colore vel ipſe *creditor* vel eius *ceſſionarius* vaſallorum numero haberi poteſt, cum vtrique non niſi pignus tamquam *ius allodiale*, in feudo conſtitutum, competat; ſaluo ſemper nexu inter dominum et vaſallum. De nouo vaſallo tum demum quaeritur, quando cauſa ad diſtractionem feudi obligati redit: ceſſione hypothecae feudalis vero *nouus tantum creditor* conſtituitur. Sed monet MASCOVIVS (c), *intereſſe* Domini, *ſcire, quis creditor ſit in feudo.* Enimuero ſi praeiudicium nullum ex hypothecae feudalis ceſſione Domino imminet, eius quoque ex iure perfecto non intereſt, ſcire, quis creditor ſit in feudo, et vtrum *ipſe creditor*, cui feudum obligatum eſt, an eius *ceſſionarius* ius hypothecae perſequatur. Denique nec eſt, quod quis forte ex eo, quod ceſſio hypothecae facili negotio in *potentiorem* fieri poſſit, rationem requirendi Domini conſenſus repetat. Manifeſti enim iuris eſt, ceſſionem iuri-

um

(c) *De iure feud. cap.* XII. §. 23.

um in potentiores ideoque et ceſſionem hypothecae in eosdem inualidam et ſub iactura iuris prohibitam eſſe (*d*). Quod adeo verum eſt, vt nec domini conſenſus ceſſioni hypothecae feudalis in potentiorem poſſit vim conciliare, cum in hac inprimis agatur cauſa *debitoris Vaſalli*, cui ex perſona potentioris ceſſionarii durior conditio metuenda eſt.

§. IV.

Expenduntur rationes contrariae ſententiae.

Sed praeſtat et reliqua rationum momenta recenſere, quae in contrarium adferuntur pro adſtruenda neceſſitate noui conſenſus domini in hypothecae feudalis ceſſionem. Ex vi et poteſtate legum feudalium, quibus ille in *hypothecae conſtitutione* requiritur, eundem in *eius ceſſione* neceſſarium eſſe, eamdemque ideo ineundae ceſſionis ac conſtituendae hypothecae feudalis rationem eſſe contendunt. Dandum

(*d*) *L.* 2. *C. ne liceat potentiorib.* STRYK *de potent. ceſſionar. c.* 2.

dum vtique eſt, conſenſum domini in hypothecae feudalis *conſtitutione* deſiderari: ſed et hoc dandum eſt, hypothecae feudalis, *iam rite conſtitutae*, ceſſionem non eſſe nouam pignoris conſtitutionem, ſed *veteris* translationem (*a*): ideoque ab illa ad hanc, tamquam ad negotium prorſus diuerſum, non procedere argumentationem. Inter vtramque quantum interſit, obuium eſt perpendenti, hypothecam a vaſallo, in cuius bonis feudum eſt, conſtitui, et domini conſenſum non niſi ideo, quod hypotheca ius feudum alienandi tribuat, in eius conſtitutione, perinde ac in omni alienatione deſiderari. E contra hypotheca, ex domini conſenſu impetrata, ad iura acquiſita *creditoris* pertinet, ad iura eius libera et nulli obligationis

(*a*) In argumentis ſimilibus eodem iure vtimur, vt hypotheca in re *eccleſiaſtica* ſolenniter conſtituta, ſine noua ſolennitate alteri cedi, nec non hypotheca in *bonis minorum* cum decreto impetrata in alterum ſine nouo poſſit decreto transferri. L. 7. §. 1. *de reb. eor. qui ſub tut.* MEVIVS *P. VII. dec.* 311. *n.* 9. SCHRADER *tr. feud. P. VII. c.* 2. *n.* 29.

tionis clientelaris nexui obnoxia. Creditor itaque, hypothecam cedens, ius ſuum *allodiale*, in feudo acquiſitum, in alterum transfert: eaque ceſſio ex ea lege iudicari nequit, quae *feudi* alienationem *vaſallo* negat.

§. V.

Conſenſus domini in hypothecam non praeſumitur adſtrictus eſſe in perſonam creditoris.

Supereſt vel praecipuum, quod ex *natura conſenſus*, a domino in hypothecam praeſtiti, repetunt argumentum, qui nouum conſenſum in hypothecae ceſſionem exigunt. Conſenſum domini in hypothecam datum *ſtricti iuris eſſe* exiſtimant, eumque ad *perſonam creditoris* adſtrictum, nec ideo vltra perſonam, cui datur, extendendum (*a*). Nulla huic argumento vis ineſt, niſi conſenſum domini ad *perſonam creditoris* reſtrictum eſſe, ex facto ſuma-

(*a*) CARPZOVIVS *l. c. n.* 6. BERLICHIVS *l. c.* MASCOVIVS *l. c.*

ſumamus. Eſt vtique in Domini voluntate poſitum, vtrum *conſenſum* in hypothecam feudalem *impertiri*, an *negare* eundem, et *qua lege* praeſtare malit; ideoque non minus eiusdem arbitrii eſt, vtrum conſenſum ad *perſonam creditoris* adſtringere velit, vti eundem ſolet ſaepiſſime *certo tempore* circumſcribere. De qua mente domini ſi ex interpoſiti conſenſus *perſpicua ſignificatione* conſtat; certum vtique eſt, hypothecam ad perſonam creditoris eſſe adſtrictam; eidemque *facultatem eam cedendi* ademtam, eiusque ceſſionem non niſi ab impetrato nouo domini conſenſu vim conſequi. Enimuero vbi id *diſerte* actum non eſt, ſed conſenſus domini in hypothecam in feudo conſtitutam ſimpliciter interpoſitus; iure negamus, eum *interpretatione* ad perſonam creditoris eſſe adſtringendum. Interpoſitum enim domini conſenſum talem accipere neceſſe eſt, qualis ex *natura negotii* et ſecundum *ius feudale* eſſe debet (*b*).

Et

(*b*) HART. PISTOR *quaeſt. iur. lib. I. qu.* 15. *n.* 44. 45.

Et iure quidem feudali conſenſus domini in *hypothecam* in feudo conſtituendam non vero in *perſonam creditoris* exigitur: quod adeo verum eſt, vt eundem generatim praeſtitum eſſe ſufficiat ad hypothecam cuicunque conſtituendam. Id modo cauetur II. F. 55, vt nulli liceat feudum oppignorare *ſine permiſſione illius domini, ad quem feudum ſpectare dignoſcitur.* Idem ex natura negotii intelligitur, cum conſenſus domini in hypothecam feudalem ideo exigatur, vt iure liceat feudum obligare, in eoque ius in re conſtituere (*c*). Si itaque conſenſus domini tum ex iure feu-

(*c*) Alia eſt ratio conſenſus in *alienationem feudi* dati, quem dominus non modo *in ipſam alienationem* ſed et in perſonam *noui futuri vaſalli* impertitur, cum ei inuito nouus vaſallus obtrudi nequeat; quae rationes omnes in conſenſu in hypothecam feudalem deficiunt, cum creditor in feudo numero vaſallorum non ſit. Et recte eam in rem obſeruat MEVIVS P.VIII. *dec.* 284. n. 4. dominum, quando oppignorationi feudi conſenſum addit, non hoc cogitare, nec hoc intendere, vt ſaltim ei, cuius nomen exprimitur, illud ſit oppignoratum, ſed vt *pro credito contracto* obnoxium ſit.

feudali tum ex natura negotii *in rem* ſeu *in hypothecam* exigitur, vera et iuſta eſt interpretatio, qua eundem in hypothecam interpoſitum accipimus, nec ad perſonam creditoris adſtringimus. Quod inſtrumento, ſuper conſenſu confecto, *creditoris*, cui hypotheca tribuitur, mentio iniiciatur, argumentum non eſt conſenſus ad *eius perſonam* adſtricti. Cum hypotheca non ſit, niſi et ſit perſona, cui conſtituitur, creditoris mentio pertinet ad ſignificandum, cui hypotheca ſit conſtituta. Dudum monuit Paulus (*d*), *plerumque perſonam pacto inſeri, non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur, cum quo pactum factum ſit.*

§. VI.

Differentiae iuris feudalis communis et Saxonici.

Ceterum quod in poteſtate Domini poſitum eſſe obſeruauimus, quod conſenſum in hypothecam feudalem *ad creditoris*

(*d*) *In L. 7. §. 8. D. de Pactis.*

ris perſonam adſtringere poſſit: id quidem dominus pro iure perpetuo ſancire, et conſenſui in hypothecam feudalem hanc reſtrictam vim tribuere poteſt, ne perſonam creditoris eiusue heredes egrediatur. Huic rationi innititur ius particulare *in Saxonia* conſtitutum, quod hypothecae feudalis ceſſionem non niſi ex nouo domini conſenſu valide ſuſcipiendam ideo praecipit, quod conſenſus domini in hypothecam feudalem interpoſitus ad perſonam creditoris adſtrictus eſſe accipiatur, idque ex ipſius iuris Saxonici diſpoſitione. Hanc rationem exprimit Conſtitutio Saxonica in *Ordinat. recognit. Proc. tit. XLVI.* §. 7. *noch der Conſens, welchen der Lehn-Herr einem gegeben, auf eine andere Perſon, ohne Sein des Domini feudi Bewilligung extendiret werden möge, und es derowegen in unſerer Cantzeley auch jederzeit alſo üblichen gehalten worden, daſs ſolche translationes hypothecarum ohne neuen Conſens für beſtändig nicht gehalten werden.* Ex his ſimul intelliguntur rationes iuris feu-

dalis *communis* et iuris particularis *Saxonici* in eodem argumento diuerſi (*e*), quod iure *communi* conſenſus domini, in hypothecam interpoſitus, non poſſit non pro conſenſu *in rem* dato haberi, nec ideo creditori negari ius, hypothecam alteri libere cedendi: cum contra iure *Saxonico* domini conſenſus *ad perſonam creditoris* eiusue heredum adſtrictus accipiatur, eique adeo ademta cenſeatur facultas hypothecam feudalem absque nouo domini conſenſu cedendi.

§. VII.

Vis hypothecae feudalis ceſſae.

Quae cum ita ſint, omnis ceſſio hypothecae feudalis absque nouo Domini directi conſenſu iure feudali communi valida et efficax eſt (*a*): eaque propter quae in

(*e*) Iuris Saxonici conſtitutionem explicat IO. HENR. BERGERVS *in elect. discept. for. tit. XLVI. obſ.* 6. p. 1616. et QVINT. FLOR. SEPT. RIVINVS *in enun. iur. ad Ord. Proc. Sax. tit. XLVI. en.* 13. 14.

(*a*) Vſum fori huius ſententiae illuſtrat MEVIVS *P. VII.*

in diuiſione hereditatis inter *coheredes* interueniunt nominum eisque annexarum hypothecarum feudalium ceſſiones, vel quae *legatariis* fiunt et *fideicommiſſariis*, absque nouo Domini conſenſu conſiſtunt (*b*). Quae iura creditori *cedenti* vi hypothecae competunt, eadem tranſeunt in *ceſſionarium*, ideoque hic actione hypothecaria experiri, et hypothecam feudalem in *concurſu creditorum* perſequi, et vt ſibi ſecundum praerogatiuam hypothecae ſatisfiat, exigere poteſt. Neque ceſſio hypothecae feudalis, *Domini conſenſu* munita, in concurſu creditorum *potius ius* tri-

P. VII. dec. 311. *P. VIII. dec.* 284. STRYK *de Caut. Contr. Sect. II. c.* 4. §. 10. SCHRADER *l. c. P. VII. c. II. n.* 26. *ſq.* HORN *in iurispr. feud. cap. XIX.* §. 9. LENTZ *de ceſſ. nominum et act. cap.* 26. *membr.* 2. *n.* 29. PETR. TORNOVIVS de *feud. Mecklenb. P. II. c.* 4. §. 17. IO. BR. ENGELBRECHT *in intr. ad not. feud. Pomer. c. X.* §. 15. B PARENS in diſſ. *de hypotheca feudali c. II.* §. 13. LEYSER *ſpec.* 232. *m.* 6.

(*b*) *Iure Saxonico* nouus conſenſus domini in his ceſſionum exemplis deſideratur. vid. BERGERVS in *elect. diſc. for. p.* 1616.

tribuit prae hypotheca feudali anteriori rite conſtituta et *absque domini conſenſu* ceſſa: namque ceſſionarius iure fungitur cedentis, cui eſt hypotheca feudalis conſenſu domini et agnatorum *legitime* conſtituta, ex nouo vero *domini conſenſu* in hypothecae *ceſſionem* interueniente potius et praecipuum ius non deſcendit. Ceterum nec *plus iuris* conſequitur ceſſionarius, quam quod fuit cedentis; ideoque ſi, quod fere fieri ſolet, conſenſus domini in hypothecam feudalem ad *certum tempus* adſtrictus eſt, hoc elapſo, niſi actione hypothecaria expertus ſit, ius hypothecae extinguitur. Tum ergo ceſſionarius ſibi proſpicere, et conſenſus *renouationem* a domino petere debet, niſi diſcrimen amittendae hypothecae ſubire malit: in cuius rei illuſtrationem recenſere iuuabit, quae habet *Conſtitutio Marchica* FRIDERICI I. *Boruſſiae Regis de a.* 1700. §. 28. (*c*). *Wenn auch eine conſentirte Poſt per ceſſio-*

(*c*) In CHRIST. OTTONIS MYLII *Corpore Conſtitutionum Marchicar. P. II. Sect.* I. p. 247.

ceſſionem auf einen andern transferiret würde, ſoll der Ceſſionarius eher nicht, bis die dem Cedenti in conſenſu beſtimte Zeit der hypothec in feudo verfloſſen ſeyn wird, als bis dahin dergleichen von Uns ertheilte Conſenſe in vigore bleiben, renouationem des ihm cedirten Conſenſus zu ſuchen verbunden ſeyn, weil unſtreitigen Rechtens iſt, quod conſenſus ius reale tribuat, cedi poſſit, et cedens omnia iura ſua in ceſſionarium transferat.

INDEX RERVM.

Primus numerus Obſeruationem, alter paragraphum denotat.

A.

Appellatio in cauſis feudorum extra curtem ad quem dirigenda. XII. 17. Ius eam recipiendi eſt effectus ſuperioritatis territorialis. ib. 18.

B.

Beneficia inter Francos II. 2. Eorum ſpecies, ib. 5. Eorum diſcrimen a feudis ib. 6. Ius hereditarium quando inualuerit. ib. 7. Beneficia militaria immutata in feuda 8. Non militarium a feudis diſcrimen ib. 9. Quando et haec in feuda ſint immutata. ib. 10.

Bulgarus, ICtus Bononienſis, I. 9. a.

C.

Campanarum vſus et ſuperſtitio circa illas VII. 3.

Campanarii officium VII. 2. 9. Inprimis tempore tempeſtatis ibid. 2. 4. 9. Eius collatio ib. 9.

Campi Roncalici I. 8.

Cauſae feudales. XII. 6.

Comes Palatinus quo ſenſu iudex imperatoris appellatus? XI. 9.

Comites quid apud Tacitum? III. 4.

Communio feudi VIII. 1.

Communis manus VIII. 8.

Curiae

Curiae iure tenere, quid? IV. 4. VI. 1. ſucceſſio negata in bonis, iure curiae datis VI. 2.

Curtis quid? XII. 2.

D.

Dapiferatus iure miniſterii conceſſus IV. 6.

Diuiſione feudi tollitur ius ſuccedendi iure Germ. VIII. 5. Non iure Longobardico ib. 6. An hodie tollatur? ib. 10.

Diuiſio feudi quoad fructuum perceptionem tantum. VIII. 7. Vſurpata eſt pro conſeruanda ſucceſſione in feudo communi ib. 8.

Dominus directus obligatur ad inueſtituram ſine difficultate concedendam X. 2. S. Competit ei iurisdictio feudalis XII. 6. 7. S.

Dominium directum quomodo acquiratur in alieno territorio. XII. 3. 4. 5. In alieno territorio acquiſitum ſubordinatum praeſumitur territorii Domino XII. 12.

F.

Feloniae poena IV. 1.

Femina miniſterialis, vid. miniſterialis femina.

Feudorum et beneficiorum diſcrimen II. 6. feudorum origo ex beneficiis hereditariis effectis II. 7. III. 6. Et ex miniſteriis hereditariis redditis II. 10. IV. 5. VI. 4.

Feudum Campanarium. VII. 1. aedificia data in feudum campanarium. ib. 5. Ad tempus conceſſum, ib. 7. Feudum improprium ib. 8.

Feudum commune VIII. 1. eius diuiſio ib. 7.

Feudum extra curtem quid? XII. 1. 2. Modus illud conſtituendi ib. 3. 4. 5. Iurisdictio in eo ib. 9. ſ.

Feudi iniurati inueſtitura per procuratorem IX. 7.

Feudum rectum IV. 2.

Fideles apud Francos III. 1.

Fidelitas quid? III. 1. realis et perſonalis ib. 2. Mutua domini et Vaſalli fidelitas ib. 3.

Fidelitas miniſterialis IV. 3. eius diſcrimen a vaſallitica ib. 4. Immutata in vaſalliticam IV. 6.

Fidelitas vaſallitica III. 6. in quonam conſiſtat. IV. 2. eius violatae poena vnde deſcendat IV. 1. praeſtanda eſt a vaſallo in propria perſona IX. 1. 2. ſ.

Friderici I. Imp. conſtitutiones de feudis I. 4. Non eſt auctor collectionis iur. feud. I. 5. 6. Eius iuſſu miſſa eſt Bononiam I. 7. 12. Et approbata in vſus academicos. ib. 12.

Forum continentiae cauſarum quatenus fundatum in cauſis feudalibus? XII. 15.

G.

Gerardi Nigri libellus feudalis I. 2. Eius diuerſitas a collectione iur. feud. ib. 3.

Glockenlehn, VII. 1.

H.

Hoferecht VI. 1.

Hofelehn VI. 4.

Homagium IV. 2. 4.

Hominium IV. 2.

Hugolinus a Porta Rauennate iuris feudalis gloſſator. I. 9. Non eius auctor ib. 10.

Hugolinus de Presbyteris, ICtus ſec. XIII. adiecit corpori iuris libros feudorum I. 15.

Hugolinus de Vrſo Eques Bononienſis I. 15.

Hy-

Hypotheca feudalis iure allodii habetur XIII. 2. Conſenſus domini in eam conſtituendam non praeſumitur adſtrictus in perſonam creditoris ib. 5. Cedi poteſt iure communi absque domini conſenſu ib. 3. non iure Saxonico ib. 1. 6. Ius ex eius ceſſione competens ib. 7.

I.

Inueſtitura vaſallo in propria perſona facta IX. 2. 5. Per procuratorem domini data IX. 5. Eiusdem vis. ib. 6. Vaſallo impedito quomodo peracta IX. 3. Per procuratorem vaſalli olim non niſi ex ſpeciali ratione impetrata. ib. 7. Iure Long. admiſſa ib. 8. An hodie admittatur? ib. 9.

Inueſtiturae ſimultaneae origo. VIII. 9.

Inueſtitura prouiſionalis IX. 6. Quando dari poſſit? X. 5.

Inueſtitura in poſſeſſorio X. 6.

Iudex Curiae quis? XI. 2. Ex quibus cauſis conſtitutus. ib. 3. Ius domini et vaſalli in eius conſtitutione. ib. 4. Ex vaſallis electus? ib. 5. Eius officium. ib. 6.

Iudex curiae in cauſis feudorum imperii XI. 7. 8. Eius conſtitutio maxime in cauſis iura imperatoris concernentibus. ib. 9.

Iudicium parium curiae. XI. 2.

Iudicium curiae principum imperii. IX. 7.

Iuramentum fidelitatis iure Germ. a vaſallo in perſona praeſtandum. IX. 2. Eius praeſtatio reſeruata eſt in inueſtitura prouiſionali. IX. 3. 6. Iure Long. per procuratorem praeſtari poteſt. ib. 8.

Iurisdictionis feudalis origo an ex dominio? XI. 1. Eius exercitium in iudicio parium curiae. ib. 2. Ex quo fundamento domino directo competat? XII. 7. Agnita eſt vſu medii aeui. ib. 8. Competit

petit in feudis extra curtem. ib. 9. 13. 14. 15. Quomodo acquiri potuerit in alieno territorio? ib. 10. 11. ſalua ſuperioritate territoriali acquiſita eſſe praeſumitur. ib. 12.

Ius de non euocando non obſtat iurisdictioni feudali XII. 16. Nonnumquam aduerſus hanc nominatim datum eſt. I. 19.

Ius Caeſareum I. 19.

Ius feudale, pro iure ſuccedendi. VI. 2.

Ius feudale Longobardicum quo tempore receptum in Germania. I. 18. 19. Eius compilatio vid. *libri feudorum.*

K.

Kayſerrecht, geſchriebenes deſignat ius feud. Longobardicum. I. 19.

L.

Legitimatis per ſubſequens matrimonium adiudicata inueſtitura in poſſeſſorio. X. 6.

Lehenrecht, pro curia feudali. I. 19.

Lehenrecht, omne ius titulo feudi competens. VI. 3.

Libri feudorum an compilati ſint ab Oberto et Gerhardo. I. 3. Eorum fontes. ib. 4. Non tribuendi ſunt Friderico I. ib. 5. 6. Eorum aetas et auctor. ib. 7. 10. 11. 13. Eorum partitio in duos libros ib. 8. Eorum Gloſſator Hugolinus. ib. 9. Eorum approbatio a Friderico facta in vſus praelectionum ib. 12. Sub Friderico II. additi ſunt corpori iuris 16.

M.

Mannrecht. I. 19.

Mannſchafft. IV. 2.

Matrimonium miniſterialium. V. 5. 6.

Mi-

Miniſteriorum et feudorum diſcrimen II. 9. VI. 1. Eorum conuerſio in feuda. ib. 10. VI. 4. Miniſteria aulae V. 6. honorifica. ib.

Miniſteriales apud Francos iidem ac vaſalli. II. 4. Eorum fidelitas. IV. 3.

Miniſterialis femina fiebat vel naſcebatur. V. 3. Eius miniſteria ib. 6. Ius domini in eam. ib. 7. quo ſenſu alienari et permutari dicatur. ib. 7. Dimiſſio ex nexu miniſterii. ib. 8. Exempla donationis et permutationis feminarum miniſterialium ex documentis. p. 160 - 175.

Miniſterialis fidelitas vid. fidelitas miniſterialis.

Miniſterialium conditio. V. 1. Ex illis nati liberi diuiſi inter eorum dominos. ib. 2. eorum matrimonia ex domini conſenſu contrahenda. ib. 3. 4. Alienatio iuris in eos competentis. IV. 3. V. 7. I. Eorum ſtudia in immutando nexu miniſterii in feudum. IV. 5. VI. 3.

O.

Oberti ab Orto libellus I. 2. Eius diuerſitas a collectione iur. Feud. ib. 3.

Odofredi teſtimonium de libro feudorum corpori iuris adiecto. I. 15. 16.

Officia honorifica miniſterialium. II. 9.

Officii iure tenere quid? ib. IV. 4. 5. VI. 1.

P.

Parium curia IX. 2. in cauſis feudorum imperii. ib. 7.

Procurator ad inueſtituram ex parte domini. IX. 4. Ex parte vaſalli moribus Germ. non admiſſus. ib. 25. niſi ex ſpeciali ratione. ib. 7. Iure Long. admiſſus. ib. 8. Quatenus hodie admittatur. ib. 9.

R.

R.

Renouationem inueſtiturae quando dominus dare obligetur. X. I. Ab eo danda eſt ſine difficultate. ib. 2. Quomodo difficilis reddatur. ib. 3. Difficultas circa eam mota vaſallo innocua.ib. 4.

S.

Sala quid? VI. 2.
Seniores inter Francos III. 5.
Sequela feudalis VI. 4.
Seruitia militaria pertinent ad feudum rectum IV.2.
Seſſlehn quid. IX. 5.
Soldurii III. 4.
Subfeuda extra curtem. XII. 2. Ius recipiendi appellationes in iisdem. ib. 18.
Succedendi ius in parte feudi indiuiſa. VIII. 2. An amittatur diuiſione. ib. 5. 6. 10.
Succeſſio in beneficiis quando introducta? II. 8. Negata.in bonis, iure curiae datis. VI. 2.
Succeſſio legitimatorum per ſubſequens matrimonium in feudo. X. 6.

V.

Vaſallagium Mannrecht I. 19. Vid. iuramentum fidelitatis.
Vaſalli apud Francos II. 3. III. 5. Iidem ac miniſteriales. II. 4. Eorum fidelitas perſonalis. III. 5.
Vaſallus iure Germ. obligatur ad inueſtituram in propria perſona accipiendam. IX. 2. Non iure Long. ib. 8. Quid hodienum inde ſeruetur. ib.9.
Vaſſaticum III. 5.
Volge quid? VI. 2.

592076